DE ELOCUTIONE ISAEI.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE LIPSIENSI

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

ERNESTUS MARTINUS LINCKE
DIPPOLDISWALDENSIS.

LIPSIAE.
TYPIS OSWALDI MUTZII.
MDCCCLXXXIV.

PAULO GERSDORFO

FROHBURGENSIUM PASTORI

STUDIORUM PRIMITIAS SACRAS ESSE VULT
AUCTOR.

PRAEFATIO.

Cum artis criticae exercendae causa Iusto Hermanno Lipsio, praeceptore summe venerando, auctore in Isaei orationibus, quippe quae a viris criticis iusto magis essent neglectae, iam diutius versatus essem, nova editio a H. Buermanno curata in lucem prodiit, qui vir doctus codice Crippsiano, qui praeter Ambrosianum duas tantum primas Isaei orationes continentem solus est sui iuris, diligenter excusso nonnullos locos corruptos codicum auctoritate emendavit, alios coniecturis sanare conatus est, quarum tamen pars quin invito oratore in textum esset recepta, dubium mihi videbatur non esse. Ut autem viderem, num iusta esset haec mea suspicio, in Isaei elocutionem, cum in quovis scriptore emendando generis scribendi cognitio summi sit momenti, accuratius inquisivi, quibus ex studiis haec dissertatio exorta est. Neque habuisse operam in Isaei elocutione observanda positam parum oblectationis, uno saltem verbo hoc loco monendum esse puto, cum verear, ne sint, qui mirentur, quod hunc oratorem mihi sumpserim tractandum, qui neque subtilitate atque elegantia ad Lysiam, quem aemulatus est,[1])

[1]) Dionysius Halic. de Isaeo iudicium cap. II, [Plut.] de Isaeo § 1, ed Dübner.

aspirare potuerit, et acrimonia a Demosthene, quem docuit,[1]) sit superatus. Neutrum sane potest negari; neque vero ideo Isaeus minus quam illi dignus videtur esse, qui legatur, praesertim cum — id quod procedente dissertatione apparebit — haud parvam stipem ad excolendam atque perficiendam eloquentiam contulerit, cuius gradus et quasi processus cognoscere philologum minime dedecet. Erit igitur a re, quam nobis proposuimus, non alienum examinare, quibus in eloquendo rebus sive correctis sive perpolitis Isaeus principi illi omnium oratorum viam muniverit, qua in quaestione quam maxime adiutus sum studiis iis, quae Dionysius Halicarnassensis[2]) et nostra aetate Blassius,[3]) Moyus,[4]) Herforthius[5]) in Isaei genus dicendi contulerunt. Aliorum libri, quibus usus sum, ad singulas res ex illis haustas adnotabuntur.

Ut autem via ac ratione commentatio procedat, primum de verborum delectu, deinde de compositione, denique de figuris, quibus Isaeus usus sit, quaeremus atque ita quidem, ut in singulis partibus a Dionysii iudicio proficiscamur.

---

[1]) Dionys. c. I, [Plut.] § 3, Harpocration, Suidas s. v. *Ἰσαῖος*.

[2]) Dionys. iudicium de Isaeo, quod legitur in commentariis de veteribus oratoribus compositis.

[3]) Blass: die Attische Beredtsamkeit II.

[4]) L. Moy: étude sur les plaidoyers d'Isée, Paris 1876.

[5]) W. Herforth: die Nachahmungen des Isae. u. Isocr. Stils bei Dem. Progr. Grüneberg i. Schles. 1880.

Quamquam Isaei orationes ab Isocrateis dicendi genere tantum discrepant, vix ut vestigia Isocratis disciplinae, qua Isaeum usum esse Hermippus in libro de Isocratis discipulis composito tradidit,[1]) in illis apparere videantur, tamen, si quis hanc ob causam de fide Hermippi testimonii dubitaret, multum a vero aberraret. Etenim cum appareat, oratores in veris causis versantes, quibus, ne iusto latius orationes extenderent, clepsydra erat moderatrix,[2]) brevitati potissimum atque perspicuitati studuisse, mirum non est, Isaeum magistri ubertatem verborum et musicum illum concentum, quem ut efficeret ille orationibus multa non solum verba, sed tota membra prorsus inania inculcavit,[3]) effugisse magis quam affectasse. Multo aptior forensi strepitui quam illi Isocrateae dictionis calamistri Isaeo videbatur esse Lysiae tenuitas, quem adeo aemulatus est, ut ex genere dicendi orationum, uter sit auctor, difficillimum esse intellectu Dionysius censeat.[4]) Attamen utriusque orationes accuratius si comparaveris, magis inter se discrepant, quam pro horum oratorum et aequalitate et studiorum similitudine exspectaveris. Idem enim Dionysius

---

[1]) cf. Dionys. de Isaeo cap. I extr.

[2]) nam non multae causae fuerunt *ἄνευ ὕδατος*, quarum una tantum *δίκη κακώσεως* nota est cf. Harp. s. v. *κακώσεως*.

[3]) Blass. eloq. Att. II p. 151.

[4]) Dionys. de Isaeo cap. II.

rectissime animadvertit,[1]) Lysiae eloquentiam esse simplicem, ad vitae consuetudinem accomodatam, suavem, Isaei autem artificiosiorem, accuratiorem, variis distinctam schematibus, cuius discrepantiae causae cum ab indolis utriusque diversitate tum ab Isocratis disciplina mihi videntur esse repetendae. Lysias enim callidorum dicendi artificiorum expers eo potissimum causam tenere conatus est, ut omnem fere quae suppetebat artem oratoriam in narratione consumeret, id maxime agens, ut specie quadam simplicitatis probitatisque actor imbueretur, quo ex studio placidum illud Lysianae orationis flumen emanavit. Longe diversam causae orandae rationem amplexus est Isaeus. Est enim causidicus litigandi sollertissimus iurisque Atheniensium civilis peritissimus, qui adeo arti suae confidit, ut missis interdum exordio aliisque rebus aptis illis ad iudicum benevolentiam conciliandam rem ipsam, qualis sit, iudicibus proponat et argumentis a legibus, testimoniis, probabilitate repetitis clientis causam esse iustam demonstrare studeat.[2]) Haec autem novata litigandi ratio, adiuta quam maxime Isocratis disciplina, qui Isaeum argumenta non solum artificiosius disponere[3]), verum etiam uberius invenire[4]) videtur docuisse, ut erat ad pugnandum propensior quam ad narrandum, concitatiorem requirebat sermonem, quo primus in iudicio usus Isaeus *πηγὴ τῆς Δημοσθένους δυνάμεως* fuisse iure ac merito a Dionysio praedicatur[5]). Huc pertinent concisa illa enuntiata, quibus amplioribus periodis intermixtis Isaeus saepius iudicum animos excitavit, huc acerbissimae Isaei irrisiones, huc inter-

---

[1]) Dionys. de Isaeo cap. III.

[2]) Moy l. l. cap. IV.

[3]) Dionys. de Isaeo cap. III, Blass II, p. 487.

[4]) Inventione Lysiam ab Isaeo esse superatum demonstravit Moy c. I, cf. c. II, ubi loci communes, quibus usus est Is., congesti sunt; sunt autem plures, quam pro tenuitate causarum exspectes.

[5]) Dionys. de Isaeo cap. III.

rogationes frequenter cumulatae, quibus praesertim ubi cum apostrophe figura sunt coniunctae, impetus tam vehemens in adversarium efficitur, ut ille quasi de statu videatur convelli. Sed de his gravioribus, quae sunt inter Lysiae et Isaei orationes, differentiis significatis illis ab ipso Dionysio l. l. in capitibus secundo et tertio uberius dicendum erit. Hoc loco lectores monitos esse velim, aliis praeterea rebus, quae sagacissimum illum antiquitatis criticum fugerint, Isaeum a Lysiae dicendi genere recessisse idque, ut mihi quidem videtur, magistri secutum consuetudinem. Ut autem appareat, quae Isaeus ex Lysiae, quae ex Isocratis imitatione sumpserit, nunc statim ad primum dissertationis caput aggrediamur.

Caput I.

De delectu verborum.

Primum audiamus Dionysium, qui de Isaei verborum delectu hoc profert iudicium[1]): *„καθαρὰ μὲν καὶ ἀκριβὴς καὶ σαφής, κυρία τε καὶ ἐναργὴς καὶ σύντομος — οὐχ ἧσσόν ἐστιν ἡ Ἰσαίου λέξις τῆς Λυσίου“*, cui iudicio num prorsus possimus adstipulari, nunc examinemus.

Iam quin pura fuerit Isaei dictio atque accurata, nemini erit dubium, qui quidem fidem adiunxerit testimoniis veterum grammaticorum affirmantium, Isaeum fuisse Isocratis discipulum, Lysianae eloquentiae aemulum, Demosthenis magistrum. Quapropter ubi codices manuscripti formas Atticorum

---

[1]) *περὶ Ἰσαίου* cap. III.

consuetudini repugnantes exhibent,[1]) editores suo iure formas vere Atticas restituerunt, quae quales Isaei temporibus in usu fuerint, studiis Frankii,[2]) Riemanni,[3]) aliorum enucleatum est. Missa igitur de formis quaestione meum esse puto scrutari, utrum reliqua Isaei dictio a trita atque optimis scriptoribus usitata consuetudine discrepet necne.

Iam ut ab articuli usu exordiar, nihil inveni, quo noster ab Atticorum more recesserit.

Articulis semper carent apud Isaeum nomina

terrarum: *εἰς Θρᾴκην* II, 6, *εἰς Σικελίαν* VI, 1, 13, *περὶ Χίον* VI, 27, *εἰς Θετταλίαν* IX, 14, *εἰς Κρήτην* XI, 48;

oppidorum: *ἐν Ἐλευσῖνι, ἐν Σπαρτώλῳ, ἐν Κνίδῳ* V, 42, *εἰς Κόρινθον* V, 11, IX, 14, *εἰς Σικυῶνα* VI, 20, *εἰς Μυτιλήνην* IX, 14, *ἐν Πειραιεῖ* VI, 19;

regionum: *ἐν Κεραμεικῷ* V, 26, VI, 20, *ἐν Σηραγγίῳ* VI, 33, *ἐν Λίμναις* VIII, 35.

Praeterea sine articulo nomina quaedam appellativa scripta sunt, quae cum certum quendam locum saepius significent, instar obtinent nominum propriorum[4]): *ἔξω τείχους, ἐν πεδίῳ* V, 22, *ἐν πόλει* VIII, 35, cf. V, 44, (quod hoc loco ut saepius[5]) arcem significat), *ἐν ἄστει* V, 11, 29, VI, 33, VIII, 35. Tres excepti sunt loci, ubi tamen articulo apposito vis quaedam demonstrativa inest. Scripsit enim orator IX, 14, *ἡ εἰς τὴν Μυτιλήνην στρατεία*, ut post enumeratas alias quibus Astyphilus interfuit expeditiones ad illam Mytilenensem, cuius iam initio paragraphi mentio erat iniecta,

---

[1]) de quibus cf. Scheibii praef. pp. VII—XI, Buermanni praef. p. VIII sq.

[2]) Franke: lectiones Aeschin. Philol. 1860, Suppl.

[3]) Riemann: qua rei criticae tractandae ratione Hellenicon Xenophontis textus constituendus sit. Paris 1878.

[4]) cf. Kühner: ausführliche Grammatik der griech. Sprache, II § 462, b.

[5]) cf. Frohberger ad Lysiam XIII, 80.

iudicum animos revocaret. Similis videtur esse ratio adiecti articuli III, 23, ubi bis legitur *ἐν τῷ ἄστει*[1]). Ibi enim Xenocles quidam, cum ad metalla a Pyrrho relicta, quae trecenta fere stadia ab Athenis distarent, proficisceretur, multos secum duxisse narratur, qui, si ab adversariis quominus metalla illa possideret, impeditus esset, „*τῆς ἐξαγωγῆς*" essent testes; cum autem in ipsa urbe de re multo graviore *ἐκμαρτυρίαν* faceret, duos tantum homines neque cognatos neque satis honestos illum advocasse. Apparet, oratorem hoc loco articulum vi quadam pronuntiasse, ut urbis notio verbis, quae in fine antecedentis paragraphi leguntur *παρακεκληκὼς ἐνθένδε σταδίους ἐγγὺς τριακοσίους ἐκεῖσε* gravius opponeretur.

Deorum nominibus exceptis frequentibus illis formulis exclamativis *νὴ Δία* etc. semper praefixus est articulus: *τῷ Διονύσῳ* I, 31, *τῆς Ἀφροδίτης* II, 31, *τῇ Ἀθηνᾷ* IV, 9, *τῆς Εἰλειθυίας* V, 39, *νὴ τὸν Δία καὶ τὸν Ἀπόλλω* VI, 61, *τῷ Διί* VIII, 16; omissus est, ubi praepositione *ἐν* cum genetivo dei nominis coniuncta templum quoddam significatur: *ἐν Διονύσου, ἐν Πυθίου* V, 41, *ἐν Ἅιδου* II, 47. In personarum nominibus articulo exornandis minus sibi constans fuit Isaeus. In universum etiam hac in re morem oratorum videtur esse secutus, qui ante haec nomina articulum saepius omiserunt, quam apposuerunt[2]), in orationibus autem secunda et tertia numerus additorum articulorum praevalet; habes enim in illa nomina duodeviginti cum articulis, tredecim sine articulis scripta, in hac missis nominibus iis, quae, cum

---

[1]) Ceterum voci *ἄστυ* articulus etiam appositus est, ubi caret vi demonstrativa cf. Frohberger ad Lys. XII, 16.

[2]) J. Siggius in ann. phil. suppl. VI, p. 430 animadvertit, Isocratem personarum nominibus articulos nunquam adscripsisse, Demosthenem quintae fere parti. Apud Dinarchum CLXX fere locis omissi sunt articuli, additi quater cf. Vogel: in Din. curae gram. rhet. crit. Diss. Lips. 1877.

praedicative sint posita, hic in censum venire non possunt[1]), articuli additi sunt quadragies quinquies, desunt quadragies bis.

Diebus festis more oratorum[2]) articuli desunt: III, 80 *Θεσμοφόρια*, VII, 15 *Θαργήλια*, ib. 36 *Προμήθεια*, VIII, 15 *Διονύσια;* uno tantum loco VIII, 19 *τὰ Θεσμοφόρια* in codice *A* supra versum *τά* est additum, quod Buermannus seclusit. Sed num necessaria sit haec mutatio, dubium videtur esse, cum ne hac quidem in re oratores sibi constantes fuisse constet. Velut Dionysia articulum habent Isocr. VIII, 82, Dem. XXI, 1, 35, 51, 106, 163, 175, 178, 226, XXXIX, 16, Aeschin. II, 61, 110, 151, III, 68, 232, *Χόες* Dem. XXXIX, 16; ipsa Thesmophoria articulo addito inveni si minus apud oratores at certe apud Aristophanem Thesm. 182, Eccles. 222.

Denique mentio fiat verborum, quae leguntur VIII, 37 *τά τε οὖν χρέα πάντα ὅσα ὠφείλετο αὐτῷ καὶ τόκους*, ubi Buermanno, qui secutus Herwerdenum articulum ante *τόκους* interposuit, non magis possum assentiri. Saepius enim duae voces, ut in unam quodam modo notionem coalescerent, communi articulo comprehensae sunt, velut Dem. II, 9: *τὰ χωρία καὶ λιμένας*, Lyc. Leocr. § 141: *τοῖς ὑμετέροις αὐτῶν παισὶ καὶ γυναιξίν.* Plato Gorg. 469 *E: καὶ τά γε νεώρια καὶ τριήρεις.* Thuc. I, 54, 1: *τά τε ναυάγια καὶ νεκρούς.*[3]) Sed haec de articuli usu satis sunto. Nunc in examinando Dionysii iudicio, qui puram atque accuratam Isaei dictionem esse dicit, ita pergamus, ut ne ea quidem, quae insolentius videantur esse dicta, ab Atticorum consuetudine abhorrere demonstremus.

---

[1]) cf. III, §§ 30, 32, 33.

[2]) Frohberger ad Lys. I, 20.

[3]) cf. Rehdantz ad Dem. or. Phil. index s. v. Artikel et Classen ad Thuc. I, 6, 1.

Proficiscamur a rariore praepositionum quarundam usu. Legitur VII, 5 *ὁ δὲ Θράσυλλος τῶν ἐν Σικελίᾳ καταλεγεὶς τριηράρχων,* quamquam Atticos, ubi tale quid expresserint, *εἰς* praepositionem usurpasse satis notum est, velut, ut uno tantum exemplo utar, Andoc. I, 11: *τοῖς στρατηγοῖς τοῖς ἐς Σικελίαν* omisso participio per sollemnem ellipsin. Neque tamen in hoc loco offendendum est, cum causa *ἐν* praepositionis positae in propatulo sit. Leguntur enim initio enuntiati verba *τούτων δύο ἐτελεύτησαν περὶ τόν αὐτὸν χρόνον, ὁ μὲν Μνήσων ἐνδάδε* — quae adeo animo oratoris obversabantur, ut illis, non sequenti *καταλεγείς* verba *ἐν Σικελίᾳ* accommodaret. Similis attractio invenitur apud Thucydidem I, 8, 2: *οἱ γὰρ ἐκ τῶν νήσων κακοῦργοι ἀνέστησαν ὑπ' αὐτοῦ*, quare non erat, cur Frohbergerus[1]) *ἐπὶ Σικελίας* mutandum suaderet. Neque magis offendendum est in verbis, quae reperiuntur V, 38 *ὃς ὑμᾶς ἅπαντας ἅμα συνειλεγμένους ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ τοιαῦτα ἐποίησε,* etiamsi coeundi verba paucis exceptis locis, de quibus Poppo ad Thuc. II, 99, 1 conferendus est, semper cum *εἰς* praepositione coniuncta sunt;[2]) nam ipso perfecto participii *συνειλεγμένους* Athenienses magis qui sunt in contione, quam qui eo conveniunt significantur. Ex breviloquentia quadam fluxerunt exempla insolentioris praepositionum usus haec: V, 46 *εἰς ὃν (πόλεμον) Ὀλύνδιοι μὲν καὶ νησιῶται ὑπὲρ τῆςδε τῆς γῆς ἀποθνήσκουσι μαχόμενοι τοῖς πολεμίοις,* ubi ad *εἰς ὅν* participium *πορευθέντες* vel simile mente addendum esse Schoemannus recte adnotavit. Longe frequentior est locutio *ληφθέντες εἰς τοὺς πολεμίους* VII, 8, VI, 1, de qua satis habeo lectores relegasse ad ea, quae Stallbaumius ad Plat. de re publ. p. 486 A disputavit.

---

[1]) Frohberger ad Lys. XXX, 8.
[2]) cf. Kuehner II, § 447 A, a.

Porro etiam de negationum usu pauca, quae commemorentur, satis digna sunt. Exstat enim apud Isaeum exemplum eius dicendi generis, quo duae notiones particula *μηδέ* ita coniunguntur, ut ex illa ad priorem quoque negatio subaudienda sit: VI, 47 *ἐκεῖ μὲν γὰρ ἔστι νόθῳ μηδὲ νόθῃ εἶναι ἀγχιστείαν.* Buermannus secutus Sauppium coll. Arist. av. 1661 et Dem. XLIII 51, ubi eiusdem legis mentio iniecta est, ante *εἶναι* interposuit *μή*, sed sine causa ut opinor, cum non ad verbum Isaeum legem illam expressisse ex omissa particula *δέ* appareat, quae post *νόθῳ* non solum apud Demosthenem legitur, sed etiam apud Aristophanem, qui hanc unam ex reliquis ad ius hereditarium pertinentibus legibus affert. Similiter enim etiam ab Isaeo VII, 20 in alia lege ad verbum commemorata *δέ* particula servata est. Alia negationis sic usurpatae exempla inveni haec: Thuc. VIII, 99, 1 *αἱ Φοίνισσαι νῆες οὐδὲ ὁ Τισσαφέρνης ἧκον*, V, 47 *τέχνῃ μηδὲ μηχανῇ* cf. Dem. LIX, 17. — Vice versa negativum membrum positivo excipitur hoc loco: VIII, 17 *καίτοι εἰ μὴ θυγατριδοῦς ἡμᾶς ἐνόμιζεν εἶναι καὶ μόνους ἐκγόνους ἑώρα λοιποὺς καταλελειμμένους αὑτῷ οὐκ ἄν ποτε ἐποίει τούτων οὐδέν κτλ.* Hic locus commemoratione eo dignior videtur esse, quod non defuerunt, qui hunc usum particulae *καὶ* pro *οὐδέ* vel *μηδέ* positae infitiarentur,[1]) quibus tamen iam Lipsius, praeceptor noster illustrissimus, in annal. philol. vol. VII, p. 247 exemplum nostro simillimum opposuit hoc: Dem. XIX, 49 *ἐὰν μὴ ποιῶσι Φωκεῖς ἃ δεῖ καὶ παραδιδῶσι τοῖς Ἀμφικτύοσι τὸ ἱερόν κτλ.*

Praeterea uno saltem verbo hunc locum commemorare

---

[1]) K. Fr. Hermann: symbolae ad doctrinam iuris Attici de iniur. act. Progr. Gött. 1847 p. 13. A. R. Muecke: de iniuriarum actione ex iure Attico gravissima, Diss. Gött. 1872 p. 25.

liceat: IX, 16 *ἐπιδείξω γὰρ ὑμῖν ἔχϑιστον ἁπάντων ὄντα Ἀστύφιλον Κλέωνι, καὶ οὕτω σφόδρα καὶ δικαίως μισοῦντα τοῦτον, ὥστε πολὺ ἂν ϑᾶττον διαϑέμενον μηδένα ποτὲ τῶν ἑαυτοῦ οἰκείων διαλεχϑῆναι Κλέωνι, μᾶλλον ἢ τὸν τούτου υἱὸν ποιησάμενον*, ubi Isaeus, ut structura enuntiatorum consecutivorum antecedentibus ex *ἐπιδείξω* aptis quodam modo accommodaretur, *ὥστε* cum participiis coninuxit. Hoc genus attractionis ab optimis scriptoribus esse usurpatum Kuehnerus [1]) exemplis allatis demonstravit.

Jam finem faciamus exemplorum rarioris dicendi generis enumerandorum, si prius unius loci mentionem iniecerimus, qui quamvis audacius, quam qui ferri possit, conformatus esse videatur, tamen ab omnibus excepto Bekkero editoribus intactus relictus est. Dico verba *ἵνα γνώσεσϑε*, quae VIII, 15 leguntur. Sed quid? cum exempla particulae *ἵνα* cum indicativo futuri coniunctae aut nulla sint aut prorsus suspecta,[2]) nonne Isaeo, qui ceteroquin Atticorum consuetudinem severe observavit, magnam iniuriam imponere videmur, hoc loco nimis religiose traditam scripturam servantes? Neque enim in Schoemanni artificiosiore explicatione acquiescam, hunc locum sic interpretantis: „etiam alia habemus documenta, quae ubi attulerimus cognoscetis", quod si exprimere voluisset orator, haud dubie simplicius *οἷς*, id quod Bekkerus pro *ἵνα* proposuit, dixisset. Mihi Roederi [3]) coniectura prorsus arridet verba laudata glos-

---

[1]) Kuehner: ausführliche Grammatik II § 586 Anm. 3.

[2]) Kuehnerus II § 553 Anm. 4 duo affert exempla ex Thucydide: VIII, 74, 4 *ἵνα — τεϑνήκωσιν*, ubi nonnulli codices G, corr. C *τεϑνήξονται*, M *τεϑνήξωσι*, Thom. Mag. *τεϑνήξονται*, reliqui A, E. F, marg. C coniunctivum exhibent, VI, 18, 4 *ἵνα στορέσωμεν — καὶ — ἄρξομεν*, quo tamen loco Thucydidem structura ex *ἵνα* apta relicta in orationem rectam transiisse ipse Kuehnerus concedit.

[3]) Roeder: Beiträge zur Erklärung und Kritik des Isaios, Jena 1880, p. 77.

sema indocti grammatici esse censentis, quibus expunctis *ὅτι* quod sequitur, aptissime a voce *τεκμήρια* pendet cf. III, 19.

Haec satis sunto de iis dicendi generibus, quae licet rarius apud Atticos occurrant, nullam offensionis ansam praebent. Jam vero Isaeus, cum pura et vere Attica dictione semper sit usus, tamen negligentiae interdum in eloquendo aliquantulum indulsit.

Reperiuntur enim nonnulli loci, ubi orator varietatem plane non curans iisdem vocabulis interiecto exiguo intervallo est usus, quae elegantius aut omnino non iterasset aut cum aliis, quae idem significarent, commutasset. Atque prorsus abundant iterata verba locis hisce: III, 10 *ἢ ὅσοι ἐκείνου γιγνώσκοντος ἐπλησίαζον αὐτῇ, ἢ ὅσοι ὕστερον ἐπλησίαζον τετελευτηκότος ἐκείνου*, ib. § 52 *οὗτος δὲ οὔτε τῷ Ἐνδίῳ τοῦ Πύρρου κλήρου ἀμφισβητῆσαι ἠξίωσεν, οὔτ' ἐγγυήσαντα τὴν ἀδελφιδῆν ὡς οὖσαν ἐξ ἑταίρας εἰσαγγεῖλαι πρὸς τὸν ἄρχοντα ἠξίωσεν*, quo quidem loco verbi repetitionem non aucupio cuidam epiphorae figurae deberi, sed impolitiori scribendi rationi, elucet ex § 49: *εἰ αὐτὸς μὲν τριτάλαντον οἶκον ἔχειν ἠξίου ὡς προσῆκον αὐτῷ, τῇ δὲ γνησίᾳ οὔσῃ θυγατρὶ — προῖκα ἐπιδοὺς ἐκδοῦναι ἠξίωσεν ἄλλῳ*, ubi figura collocatione verborum est perdita. Haec de verbis inutiliter repetitis.[1]) Praeterea varietatis neglectae

---

[1]) Neque desunt loci, ubi Isaeus ellipsibus admissis paulo concisiore dictione est usus, quamvis exempla non ita multa exstent, cum tantum absit, ut nimiae brevitati, qua facillime oratio obscuratur, studuerit orator, ut contra ad repetitiones non solum verborum, sed etiam — id quod infra apparebit — membrorum sententiarumque propensior fuerit. Jam ellipses ut praetermittam frequentissima omissae copulae exempla, reperiuntur haec: VI, 64 *ὡς οὖν εἰσὶ γνήσιοι οἱ παῖδες οἵδε, τοῦτ' αὐτὸ ἐπιδεικνύτω, ὥσπερ ἂν ὑμῶν ἕκαστος* scil. *ἐπιδεικνύοι*, IX, 31 *δοκεῖ ἂν ὑμῖν Ἀστύφιλος — τῶν ἐχθρῶν ἄν τινος υἱὸν ποιήσασθαι ἢ τὰ ἑαυτοῦ δοῦναι —; ἐγὼ μὲν οὐκ ἂν οἴομαι* scil. *αὐτὸν ταῦτα ποιῆσαι*, similiter III, 34 *ἡ μήτηρ οὐκ ἂν ᾔδει τὸ ὄνομα τῆς θυγατρός.*

exempla inveni haec: VI, 10 ὅτι μὲν οὖν διέθετο καὶ ἐποιήσατο εὖ φρονῶν, ἐξὸν αὐτῷ, ἀποδέδεικται ὑμῖν, ὥστε κατὰ μὲν τοῦτο ψευδῆ μεμαρτυρηκὼς Ἀνδροκλῆς ἀποδέδεικται, VIII, 7 ineleganter idem pronomen ἐκεῖνος ter est positum: καὶ ἐκείνην τε ἔτρεφε παρὰ τῇ γυναικὶ καὶ μετὰ τῶν ἐξ ἐκείνης παίδων, ἐκείνων τε ἔτι ζώντων κτλ. Confer I, 11 ἐγκαλεῖ — ἐγκαλεῖ, X, 20 ὥστε — ὥστε, II, 23 ἐπιτιμῶν — ἐπιτιμᾷ — ἐπιτιμῶν, V, 15 ἐφάνησαν — ἀπέφηνε — ἀπέφηνε — ἀπέφηνε — ἀπέφηνεν. Sed haec hactenus de locis quibusdam negligentius comparatis, quibus licet elegantia Lysianae eloquentiae interdum corrupta sit, tamen laus purae atque accuratae dictionis non detrectatur.

Nunc videamus de perspicuitate, cui virtuti Isaeum non minus quam Lysiam studuisse Dionysius suo iure iudicat;

πολύ γε μάλιστ' ἂν scil. ᾔδει. X, 23 ὥστε ἂν — μάρτυρας παρέχηται ὡς διέθετο ἐκεῖνος, ἐπιδεικνύναι κελεύετε δὴ καὶ ὡς τὰ ἑαυτοῦ scil. διέθετο. XI, 27 προσποιεῖται οὗτος — τῆς πρὸς ἐμὲ λήξεως ἐμποδὼν εἶναι τοὺς νόμους — οὐ γὰρ εἶναι τοῖς ὀρφανοῖς κατὰ τῶν ἐπιτρόπων scil. λήξεις. IV, 10 Χαριάδης δὲ τότε μὲν οὐδαμοῦ ἠμφισβήτησεν, ὕστερον δὲ οὐ μόνον αὐτὸς (scil. ἠμφισβήτησεν), ἀλλὰ καὶ τὸ ἐκ τῆς ἑταίρας παιδίον εἰσποιῶν ἦλθεν. Exscripsi omnes, quas indagavi, ellipses, ut appareret omnes sic esse comparatas, ut verba omissa facillime ex antecedentibus suppleri possint. Qua ratione perlustrata mihi quidem probari non posse videtur Naberi coniectura a Buermanno in textum recepta delentis III, 41 ὁπότε γάρ τις ἐπιδικάζετο τοῦ κλήρου, νόθην τὴν θυγατέρα τοῦ καταλιπόντος τὸν κλῆρον καθίστη, quae verba sane primo oculorum obtutu speciem adnotationis grammatici ex antecedentibus factae prae se ferre videntur, attamen si expunxisti, durior exsistit ellipsis haec: ἢ οὐκ ᾔδεις ἐν τῇ ἐπιδικασίᾳ τοῦ κλήρου νόθην καθισταμένην τὴν ἀδελφιδῆν τὴν σαυτοῦ; ἔτι δὲ πρότερον ὁ Πύρρος ὁ ποιησάμενος τὸν ἀδελφὸν τὸν ἐμὸν υἱὸν αὐτῷ. Haec si esset sententiarum consecutio, Isaeus haud dubie dixisset ἔτι δὲ πρότερον ὑπὸ τοῦ Πύρρου κτλ. Omnia bene sese habent servatis verbis traditis, ex quibus ad sequentia facillime auditur νόθην τὴν θυγατέρα κατέστησεν. Neque commendatur Naberi coniectura apposito pronomine τίς, cum Schoemannus rectissime adnotaverit, Graecos, etiamsi de certa quadam persona cogitarent, interdum pronomine indefinito esse usos. cf. Isae. III, 45.

alienae enim sunt ab Isaei orationibus exoletae atque reconditae voces, alienae verborum translationes longius repetitae.

Atque verborum copia pro tenuitate causarum, in quibus noster versabatur, ex quotidiano sermone est sumpta. Paucis tantum locis paulo elatiores locutiones inveniuntur,[1]) velut II, 47 *τῷ ἐν Ἅιδου ὄντι* pro *τῷ ἀποθανόντι*, V, 44 *τὰ ἀναθήματα ἐν τοῖς λιθουργείοις ἔτι καλινδεῖσθαι* dicuntur, IV, 10 ii qui de Nicostrati hereditate certaverant *ἐπὶ τὰ Νικοστράτου ᾄξαντες*, VI, 29 adversarii *ὑποπεπτωκότες οἵδε τῷ ἀνθρώπῳ* appellantur. Praeterea monendum est, verba rariora esse *κρεανομεῖν* IX, 33, *νέμησις* ib. § 17, quae non inveni nisi apud posterioris aetatis scriptores. In unius autem Isaei usu videntur esse *καθιπποτροφεῖν*, *καταζευγοτροφεῖν* V, 43, *καταπαιδεραστεῖν* X, 25, *ὀστολογεῖν* IV, 19, quibus composita quaedam addenda sunt, quae dubium non est, quin ea de causa sint ficta, ut verba eligerentur rem ipsam quam accuratissime explanantia: *ὑποπαρωθεῖν* VIII, 38, *προσεισευπορεῖν* fragm. I, 3,[2]) *συνιεροποιεῖν* VIII, 20, *συμμεταχειρίζεσθαι* ib. § 22.[3])

Qua re traducimur ad proprietatem verborum, qua virtute Isaeum Lysiae non cessisse recte Dionysius animadvertit. Nam ut praetermittam, in prima oratione ad significandum astynomorum magistratum passim[4]) generales voces *ἀρχή* et *ἄρχοντες* esse adhibitas, illud fuisse oratoris

---

[1]) cf. Blass p. 471.

[2]) In fragmentis numerandis sequor Buermanni rationem.

[3]) Cum de singulorum verborum usu sit sermo, propter P. Hoffmannum moneo, Isaeum et vocem *κεφάλαιον* I, 48, XI, 50 et *ὑπερβολή* VI, 45 usurpasse, id quod ille vir doctus in dissertatione inscripta „de Demosthene Isaei discipulo", Berol. 1872, qua Demosthenem nostri disciplina non usum esse demonstrare studuit, pp. 29, 30 infitiatus est.

[4]) Legitur *ἀρχήν* §§ 3, 14, 18, 21, 22, 25, *τῶν ἀρχόντων* §§ 14, 22, 25, contra § 15 *τὸν ἀστυνόμον*.

ingenium, ut verbis uteretur quam maxime propriis atque rebus accommodatissimis, et ex compositis illis verbis, quae p. 18 attulimus, aliis scriptoribus minus usitatis et ex parco translationum usu elucet.

Ut autem exempla translatorum verborum [1]) in certum redigantur ordinem, primum afferamus ea, quibus verba ad animata quaedam translata sunt, quae proprie de aliis animatis usurpantur: VIII, 27 Diocles in Cironis sepulcro ab actore accusatus, quod eum, qui de Cironis hereditate secum certaret, incitasset, non ausus esse dicitur *γρῦξαι τὸ παράπαν οὐδέν*, IX, 35 iudices, ut *βραβευτάς* sese praebeant, admonentur, V, 30 Dicaeogenes narratur actorem *ἀποσυλῆσαι ἃ ἐδύνατο.* Saepius inanima pro inanimis sunt posita: IX, 29 *ἱκανὴν γὰρ ἡγήσατο βάσανον εἰληφέναι ἀπὸ τοῦ πατρὸς τοῦ ἐμοῦ τῆς εἰς αὐτὸν εὐνοίας* cf. VII, 34; VIII, 39 *τὰ ἔνατα ἐπήνεγκα, ὡς οἷόν τε κάλλιστα παρασκευάσας, ἵνα αὐτῶν ἐκκόψαιμι ταύτην τὴν ἱεροσυλίαν*, III, 32 *ἢ ἵνα καὶ τοῦ τῆς τήθης ὀνόματος τοῦ ὑπὸ τοῦ πατρὸς τεθέντος ἄκληρον ὁ ἀνὴρ καταστήσειεν εἶναι τὴν αὑτοῦ γυναῖκα*; ib. § 77 *εἶτα ὑμεῖς τὴν Νικοδήμου μαρτυρίαν τῶν αὐτοῦ τοῦ θείου ἐκμαρτυριῶν πιστοτέραν ἡγήσεσθε εἶναι*, ubi non de veris testimoniis ab aegrotante avunculo coram testibus factis agitur, sed de rebus ab illo gestis, quae § 75 commemoratae erant; II, 13 *ὁ γὰρ νομοθέτης, ὦ ἄνδρες, διὰ τοῦτο τὸν νόμον ἔθηκεν οὕτως, ὁρῶν μόνην ταύτην καταφυγὴν οὖσαν τῆς ἐρημίας καὶ παραψυχὴν τοῦ βίου τοῖς ἄπαισι τῶν ἀνθρώπων, τὸ ἐξεῖναι ποιήσασθαι ὅν τινα ἂν βούλωνται*, X, 23 *ἂν ἐπὶ τοῦτον τὸν λόγον καταφεύγῃ*, V, 29 *ἡμεῖς δέ, ὦ ἄνδρες, ἐπὶ τοῦ δικαστηρίου, ὅτε ἠναγκάζομεν αὐτὸν ἀφίστασθαι τούτων, ἀντὶ τῶν λειτουργιῶν καὶ τῶν εἰς τὰ οἰκοδομήματα ἀνηλωμένων*

---

[1]) cf. Blass II, 471.

ἀφεῖμεν αὐτῷ τοὺς καρπούς scil. τῶν οἰκοδομημάτων, XI, 32 ἃ ἐγὼ διὰ βραχέων εἰπὼν καὶ παρακαταθέμενος ὑμῖν (τοῖς δικασταῖς) μνημονεύειν κτλ. Porro pro inanimis animata leguntur VII, 32 οἶκον ἐκ τοῦ φανεροῦ τριηραρχοῦντα ἀνῃρήκασι cf. ib. § 42; XI, 23 τῶν νόμων λεγόντων. Denique ad animatum quiddam translatum est, quod rei inanimae aptum est: VIII, 41 τὸν τὴν πρεσβυτέραν (ἀδελφήν) ἔχοντα κατοικοδομήσας, quod verbum proprie de domo in loco quodam aedificanda usurpatur.

Quoniam vidimus proprietatem verborum Isaeum et Lysiam in aequa laude recte esse positos, nunc de virtute ea quaeramus, quam Graeci ἐνάργειαν appellant. Atque Dionysius hac quoque in re nostrum Lysiae aequiparans laudis paulo parcior videtur fuisse, praesertim cum sententiarum figuris, quibus Isaeus ad Demosthenis dicendi vigorem prope interdum accedit, evidentia quam maxime augeatur. Sed de his in dissertationis capite III agendum erit; nunc ea evidentiae quasi adiumenta afferamus, quae ad ipsum verborum delectum pertinent.

Primum huc spectant subitae illae temporum permutationes, quae inter figuras grammaticas referri solent, quibus, praesertim ubi a praeterito ad praesens tempus transitur, memoria facti tam vivida resuscitatur, ut quasi praesens illud fiat. Exempla apud Isaeum exstant haec: II, 4 καὶ ἀπ' ἐκείνου τοῦ χρόνου τετάρτῳ ἔτει ἢ πέμπτῳ ὕστερον ἥ τε ἀδελφὴ ἡμῖν ἡ νεωτέρα σχεδὸν ἡλικίαν εἶχεν ἀνδρὶ συνοικεῖν, καὶ τῷ Μενεκλεῖ ἡ γυνὴ τελευτᾷ, ἣν εἶχε πρότερον; ib. § 6 ἐκεῖ δὲ δόξαντές του εἶναι ἄξιοι περιποιησάμενοί τι κατεπλεύσαμεν δεῦρο, καὶ καταλαμβάνομεν τῇ πρεσβυτέρᾳ ἀδελφῇ ὄντα δύο παιδία κτλ. cf. praeterea § 3 τελευτήσαντος — ἐκδίδομεν, § 12 ἔφη — καὶ ποιεῖται, V, 14 ἐπειδὴ — ἑάλωσαν, ἀμφισβητοῦμεν, ib. § 30 ἀπεσύλησεν — καὶ — ἀπόλλυσι, VIII, 7 ἔτρεφε —

ἐκδίδωσιν, ib. 8 κομισάμενος — πάλιν ἐκδίδωσι. Rarius a praesenti tempore transitus fit ad praeteritum: VI, 36 ἀπογράφουσι — καὶ ἐκέλευον, ib. § 37 ἐξαγγέλλουσι — καὶ ἐδήλωσαν.

Porro, ut verbi notio magis efferretur, adamavit Isaeus pro simplici verbo copula uti coniuncta cum verbi participio, cui quidem, ubi cum emphasi loquitur orator, haud raro articulus appositus est: II, 43 καὶ οὐ μόνον ταῦτ' ἐστὶ τὰ ποιοῦντά με ἀγωνίζεσθαι τὸν ἀγῶνα τοῦτον κτλ., ib. extr. ταῦτ' ἐστὶ τὰ λυποῦντά με cf. IV, 7, 10, VIII, 3, X, 14. Longe autem saepius omissus est articulus .. ἐστιν ἐναντιούμενος XI, 28, ὁμολογούμενον II, 40, ἀγνοούμενον VII, 19, ἦν βεβουλευμένος II, 15, δεδοκιμασμένος II, 39, γεγαμηκώς III, 80, πεπονθώς VII, 14, γεγονώς ib. 16, τετελευτηκώς III, 58, 78, XI, 5, 12, ἦσθα ἠγγυηκώς III, 80, συνερρυηκότες ἦσαν II, 28, ἐγίγνετο υἱὸς ποιητός V, 15, ἐκποιητὸς γέγονε VII, 23, ἐκποιητὸν γενόμενον X, 26. Substantivum, quod verbale vocant, cum copula coniunctum pro simplici verbo legitur V, 27 ὡς ὄντι ἐγγυητῇ, ib. § 1 ἐγγυητῇ γενομένῳ. Praeterea simplicis verbi notio, circumscripta est verbo ποιεῖσθαι cum accusativo nominis consociato exemplis hisce: ποιεῖσθαι σπουδήν I, 23, τῆς ἔχθρας διάλυσιν II, 40, τὴν ἀπολογίαν VI, 62, πρόνοιαν VII, 30, 42, τὴν διατριβὴν τῶν λόγων XI, 37, ἐπιμέλειαν ib. § 38. Nec ποιεῖσθαι solum, sed etiam alia verba circumscriptionibus eiusmodi inserviunt, velut καθίστασθαι εἰς ἀγῶνα VIII, 5, εἰς ὀργήν ib. § 37, τρέπεσθαι ἐπὶ τὴν ἀπολογίαν XI, 32, ἐπιφέρειν αἰτίαν VII, 3, φυλάξασθαι τὴν διακονίαν I, 23, ἔχειν πολλὴν ἀπιστίαν I, 29. Denique commemorandi sunt nonnulli loci, ubi pro simplici verbo legitur ἔχειν cum adverbio coniunctum: ἔχειν συμφερόντως XI, 8, ἀπείρως VIII, 5, ἀνοήτως fragm. II, 1, δι' ἐπιμελείας VII, 14.

Hi dicendi circuitus, quibus cum non modo evidentia orationis, sed etiam numerorum mollities adiuvetur, Isocratem iusto crebrius esse usum Gehlertus docuit,[1]) etsi ne a Lysia quidem omnino sunt spreti, tamen apud Isaeum et frequentiores et ex parte exquisitiores (cf. frg. II, 3, or. I, 23 etc.) leguntur, ita ut hac in re similitudo quaedam inter magistri et discipuli genera dicendi videatur intercedere.

Nec minus Isocratis dictionem[2]) loci ii resipiunt, quibus gravioribus notionibus, ut earum vis quasi praepararetur, contrariae negationibus exornatae praemissae sunt, velut *οὐ λόγῳ οὐδὲ διαθήκῃ τὴν ποίησιν γεγενημένην (ἀπέφηνα), ἀλλ' ἔργῳ* II, 44, *οὐκ ἀγνοῶν ἀλλὰ σαφῶς εἰδώς* VII, 34, VIII, 4, XI, 36, 38, *οὐκ ἀναγκαζόμενοι ἀλλ' ἑκόντες* V, 29, *οὐκ ἠμφισβήτουν ἀλλ' ἡσυχίαν εἶχον* XI, 16, *Κίρωνος οὐκ ἄπαιδος τελευτήσαντος, ἀλλ' ἡμᾶς ἐκ θυγατρὸς αὐτοῦ γνησίας παῖδας αὐτῷ καταλελοιπότος* VIII, 1, *οὐδεμίαν αἰτίαν εἴχομεν, ἀλλ' ἀναμφισβήτητοι τὸν ἅπαντα χρόνον διετελέσαμεν* ib. § 44, *οὐσίας οὐ μικρᾶς ἀλλ' ἱκανῆς ὥστε καὶ λειτουργεῖν ὑφ' ἡμῶν αὐτῷ παραδοθείσης* frag. II, 1. Ea potissimum exempla generis demonstrativi speciem prae se ferunt,[3]) ubi tota oppositorum series sic conflata est. Continuata sunt tria notionum sibi oppositarum paria VII, 35: *καὶ μὴν οὐδὲ ἀλλότριον ἀλλ' ὄντα ἀδελφιδοῦν, οὐδ' αὖ μικρὰ πεπονθὼς ἀλλὰ μεγάλα ἀγαθὰ ὑφ' ἡμῶν, οὐδ' αὖ ἀφιλότιμον, ὅς τὰ ὄντα ἀφανιεῖν ἔμελλον —, ἀλλὰ βουλησόμενον καὶ τριηραρχεῖν καὶ πολεμεῖν καὶ χορηγεῖν καὶ πάνθ' ὑμῖν τὰ προσταττόμενα ποιεῖν* (scil. *ἐποίει με τῶν αὐτοῦ κύριον*). Similiter comparata sunt, quae VIII, 20 leguntur: *μήτ' — ἀλλὰ —, μήτε — ἀλλὰ —, μήτε — ἀλλὰ κτλ.* Quattuor paria habes VII, 38, ubi libe-

---

1) Otto Gehlert: de elocutione Isocratea. Diss. Lips. 1874 p. 24 sq.
2) Gehlert l. l. p. 36 sq.
3) Blass eloqu. Att. II p. 480.

ralitas Apollodori patris Atheniensium rei publicae praestita luculentissime describitur verbis hisce: *ὁ μὲν γὰρ πατὴρ αὐτοῦ τάς τε ἄλλας λειτουργίας λελειτούργηκε, καὶ τριηραρχῶν τὸν πάντα χρόνον διετέλεσεν, οὐκ ἐκ συμμορίας τὴν ναῦν ποιησάμενος ὥσπερ οἱ νῦν, ἀλλ' ἐκ τῶν αὐτοῦ δαπανῶν, οὐδὲ δεύτερος αὐτὸς ὢν ἀλλὰ κατὰ μόνας, οὐδὲ δύο ἔτη διαλιπὼν ἀλλὰ συνεχῶς, οὐδ' ἀφοσιούμενος ἀλλ' ὡς οἷόν τ' ἄριστα παρασκευαζόμενος.* Rarius notionis vis eo amplificata est, ut sequatur contraria addita negatione: *ἔργῳ καὶ οὐ λόγῳ* II, 35, 38, *ἵνα εἰδότες τἀληθῆ, ὅ τι ἂν δοκῇ ὑμῖν, ψηφίσησθε, ἀλλὰ μὴ ἐξηπατημένοι* V, 5, *ὥσπερ ἐχθροὺς καὶ οὐκ ἀναγκαίους* I, 7.

Porro sermonis evidentia hac quoque re adiuvatur, quod Isaeus comparativi notionem ante *ἤ* particulam adverbio *μᾶλλον* posito redintegrare consuevit, cuius dicendi generis vestigia etiam apud alios sciptores[1]) deprehenduntur. Conferas I, 43 *ὥσθ' ὑμῖν, ὦ ἄνδρες, πολὺ κάλλιόν ἐστι ψηφίσασθαι κατὰ τὸ γένος τὸ παρ' ἀμφοτέρων ἡμῶν ὁμολογούμενον μᾶλλον ἢ κατὰ τὰς διαθήκας τὰς οὐ δικαίως γεγενημένας,* cf. II, 15, IX, 10, 16.

Denique hoc loco eius dicendi consuetudinis mentio iniciatur, qua Graeci interdum totum cum parte coniunxerunt, qua quidem re pars, cum digna videatur esse, quae praeter ceteras eiusdem generis res diserte commemoretur, quodam modo effertur. Velut apud Homerum passim legitur *Τρῶές τε καὶ Ἕκτωρ,* apud Thuc. II, 41, 4 *οὔτε Ὁμήρου — οὔτε ὅστις ἔπεσι — τέρψει,* apud Demosth. XIX, 19 *πρὸς Διὸς καὶ θεῶν.* Apud Isaeum leguntur exempla duo: I, 16 *οἱ τούτων φίλοι καὶ Κηφίσανδρος ἠξίουν νείμασθαι τὴν οὐσίαν,* ubi propterea Cephisandros praeter certeros adversariorum amicos nominatur, quod hic potissimum suasisse videtur,

---

[1]) Krueger, griech. Sprachlehre § 49, 7, 5, cf. Gehlert p. 25.

ut actor huius causae tertiam Cleonymi hereditatis partem acciperet cf. § 28. Simillima est ratio alterius exempli: V, 8 *ἠδικήθημεν οὐχ ὑπὸ τῶν δικαστῶν ἀλλ' ὑπὸ Μέλανος τοῦ Αἰγυπτίου καὶ τῶν ἐκείνου φίλων*, ubi non Melanis, sed Dicaeogenis amici intelligendi sunt, ex quibus unum fuisse Melanem ex § 49 apparet.

Restat, ut de brevitate Isaei dictionis nostrum proferamus iudicium, quam Dionysium minus recte cum Lysiana comparasse attentum lectorem fugere nequit. Atque quod Isaeus, quem reliquis elocutionis partibus Lysiam aequiparasse vidimus, in sententiis breviter exhibendis minus fuit felix, haud scio an hac potissimum in re manifesta disciplinae Isocratis vestigia deprehendantur, a quo quidem brevitatis studium adeo erat alienum, ut contra in redundantia quadam elocutionis elegantiam poneret [1]). Hoc tamen Dionysio concedendum est, studuisse certe Isaeum concisiori Lysiae dicendi generi, id quod maxime ex vocabulis idem significantibus multo parcius quam apud Isocratem consociatis apparet. In universum enim Lysiae more [2]) synonyma, quae vocantur, non sunt coniuncta, nisi ut ubertate verborum ipsius sententiae pondus augeatur. Maxime cumulata sunt verba, quibus aut actoris probitas aut adversarii impudentia significatur: *ὀρθῶς καὶ κατὰ τοὺς νόμους* III, 12, VII, 18, *κυρίως καὶ κατὰ τοὺς νόμους* ib. § 26, *προσηκόντως τε καὶ κατὰ τοὺς νόμους* II, 2, *ὀρθῶς καὶ δικαίως* frg. I, 2, *κακῶς καὶ αἰσχρῶς* V, 43, *παρανόμως καὶ ἀσελγῶς* X, 11, (*διαθήκας*) *οὔτ' ὀρθῶς ἐχούσας οὔτ' ἀρεσκούσας τῷ διαθεμένῳ* I, 34, *ὕβρεως καὶ μιαρίας* V, 11, *τόλμαν καὶ ἀναίδειαν* VI, 46, *ἐπήρεια καὶ παρασκευή* IV, 5, *πονηρίας καὶ τολμῆς* frg. VII ed. Scheib., *ἐπεὶ δὲ τὴν μὲν ὀνήρηκε*

---

[1]) Dionys. *περὶ Ἰσοκράτους* c. III, cf. Gehlert p. 27.
[2]) Blass eloqu. Att. I p. 402.

καὶ πέπρακε καὶ αἰσχρῶς καὶ κακῶς διολώλεκεν frg. II, 2. Porro consociata sunt verba quaedam sentiendi et declarandi: *σκεψάμενοι καὶ διαλογιζόμενοι* VII, 45, *ὀργιζόμενος καὶ οὐκ ὀρθῶς βουλευόμενος* I, 11, 43, *πλάττει καὶ μηχανᾶται* XI, 22, *ἀποφαίνωσι καὶ πειρῶνται πείθειν* I, 48, *λέγοντες καὶ διισχυριζόμενοι* ib. § 49, *δέομαι καὶ ἀντιβολῶ καὶ ἱκετεύω* II, 2, 44; VI, 57. Praeterea liceat synonymorum coniunctorum exempla quaedam afferre, quae propter significationum diversitatem in certum ordinem redigi non possunt: *ἔχουσι καὶ κρατοῦσι* VIII, 2, *ὠθεῖν καὶ ἐκβάλλειν καὶ κωλύειν συνθάπτειν* ib. § 26, *οὐδ' ἐπιτρέπειν οὐδ' ἐθίζειν* XI, 32, *ἤσκει καὶ δι' ἐπιμελείας εἶχεν* VII, 14, *ὡμολογημένα καὶ ἀναμφισβήτητα* XI, 46, *ἐκδοθείσας καὶ συνοικούσας ἀνδράσι γυναῖκας* III, 64, *ἀναγκαίους καὶ συγγενεῖς* I, 7, *ἐπανορθῶσαι καὶ βεβαιῶσαι* ib. § 18, *εὐνουστέρους καὶ μετριωτέρους* ib. § 29, *Ἐπώνυμος — φίλος ἦν καὶ ἐπιτήδειος Μενεκλεῖ, καὶ ἐχρῆτο οἰκείως* II, 3, ubi — id quod propter duplicem vim vocis *ἐπιτήδειος* moneo — tria habes vocabula amicitiam Eponymi et Meneclis significantia, quoniam propinquitate hunc cum superstite Eponymo coniunctum non fuisse elucet ex § 5. Haec exempla synonymorum cumulatorum omnia sic sunt comparata, ut uno quoque loco verborum ubertate sententiae amplificandae inserviatur.

Interdum paulo longior, quam oportet, eo exsistit oratio, ut notio, quae facillime ex antecedentibus potest suppleri, membrorum concinnitatis causa iterata sit, quamquam exempla eiusmodi rarius nobis occurunt[1]): X, 9 *γνησίου γὰρ ὄντος αὐτῷ Δημοχάρους υἱέος οὔτ' ἂν ἐβούλετο* ταῦτα διαπρᾶξαι (scil. *διαθέσθαι*), *οὔτ' ἐξῆν* δοῦναι τὰ ἑαυτοῦ ἑτέρῳ, ib. § 12 *κατὰ τὸν νόμον ὃς οὐκ ἐᾷ τῶν τῆς ἐπικλήρου* κύριον εἶναι, *ἀλλ' ἢ τοὺς παῖδας ἐπὶ δίετες ἡβήσαντας*

---

[1]) Blass eloqu. Att. II p. 470.

κρατεῖν τῶν χρημάτων, cf. p. 16. Sed ne hac quidem re Dionysii iudicium de Isaei brevitate refutatur, cum similia etiam apud Lysiam legantur.[1])

Prope autem ad fusius Andocidei sermonis genus[2]) accedunt exempla ea, ubi notionibus, quae iam positae sunt, negligentius repetitis orationis flumen sine ulla causa retardatum est: VII, 38 *ἀνθ' ὧν ὑμεῖς κἀκεῖνον ἐτιμᾶτε, μεμνημένοι τούτων τῶν ἔργων*, II, 13 *ὁ γὰρ νομοθέτης, ὦ ἄνδρες, διὰ τοῦτο τὸν νόμον ἔθηκεν οὕτως, ὁρῶν μόνην ταύτην καταφυγὴν οὖσαν τῆς ἐρημίας καὶ παραψυχὴν τοῦ βίου τοῖς ἄπαισι τῶν ἀνθρώπων, τὸ ἐξεῖναι ποιήσασθαι ὅν τινα ἂν βούλωνται.* Quibus locis simillimus est III, 11 *καίτοι ὅπου κοινὴν αὐτὴν ὡμολογήκασιν εἶναι τοῦ βουλομένου, τὴν γυναῖκα κτλ.*, quare non *αὐτοί* scribendum est, quam mutationem Schoemannus ad l. l. proposuit. Addo praeterea exempla generis dicendi iusto latioris haec: VII, 15 *ὥστ' εὐθέως με λαβὼν ᾤχετο ἔχων πρὸς αὑτόν κτλ.*[3]) IV, 19 *ὅπου γὰρ τὸν αὐτὸν ποιησάμενον οὔτ' ἀποθανοντα ἀνείλετο οὔτ' ἔκαυσεν οὔτε ὠστολόγησεν, ἀλλὰ πάντα τοῖς μηδὲν προσήκουσι παρῆκε ποιῆσαι, πῶς οὐκ ἂν ἀνοσιώτατος εἴη, ὃς τῷ τεθνεῶτι μηδὲν τῶν νομιζομένων ποιήσας τῶν χρημάτων αὐτοῦ κληρονομεῖν ἀξιοῖ*; III, 19 *ἴστε γὰρ πάντες ὡς ὅταν μὲν ἐπὶ προδήλους πράξεις ἴωμεν, ἃς δεῖ μετὰ μαρτύρων γενέσθαι, τούς οἰκειοτάτους καὶ οἷς ἂν τυγχάνωμεν χρώμενοι μάλιστα, τούτους παραλαμβάνειν εἰώθαμεν ἐπὶ τὰς πράξεις τὰς τοιαύτας κτλ.* ib. § 40 *φέρε γάρ, ὦ Νικόδημε, εἰ ἦσθα ἠγγυηκὼς τῷ Πύρρῳ τὴν ἀδελφὴν καὶ εἰ ᾔδεις ἐξ αὐτῆς θυγατέρα γνησίαν καταλειπομένην, πῶς ἐπέτρεψας τῷ ἡμετέρῳ ἀδελφῷ ἐπιδικάσασθαι*

---

1) Blass eloqu. Attic. I p. 403.

2) cf. Andoc. I, 80, 15, III, 7 etc.

3) cf. Carl Fuhr: animadversiones in oratores Atticos, Diss. Bonn. 1877 p. 57 ad suum magis sensum quam oratoris indolem verba *ἔχων πρὸς αὑτὸν* seclusit.

τοῦ κλήρου ἄνευ τῆς γνησίας θυγατρός, ἣν φὴς τῷ ἡμετέρῳ θείῳ καταλειφθῆναι; ib. § 55 *ὡς δ' ἀληθὴς ἡ μαρτυρία ἐστὶν αὕτη, ὁ Ξενοκλῆς αὐτὸς ἔργῳ οὐκ ὀλίγον χρόνον ἤδη ἀληθῆ ταῦτα μεμαρτύρηκε,* ib. § 35 *ὅπου γάρ, ἐάν τίς τι ἀτίμητον δῷ, ἐὰν ἀπολίπῃ ἡ γυνὴ τὸν ἄνδρα ἢ ἐὰν ὁ ἀνὴρ ἐκπέμψῃ τὴν γυναῖκα, οὐκ ἔξεστι πράξασθαι τῷ δόντι ὃ μὴ ἐν προικὶ τιμήσας ἔδωκεν κτλ.*[1]), VIII, 11 *καίτοι εἰ φανήσεται ταῦτα ποιῆσαι μὴ θελήσας, τί ὑπολείπεται τοῖς ἐκείνου μάρτυσιν ἢ δοκεῖν νυνὶ τὰ ψευδῆ μαρτυρεῖν, τούτου τηλικοῦτον ἔλεγχον πεφευγότος;* cf. V, 23.

Jam cum repetitiones, quas attuli, ex negligentiore quadam scribendi ratione fluxerint, alia minus astrictae dictionis exempla quin — id quod iam supra significavi — Isocratis disciplinae debeantur, mihi quidem dubium non est. Primum enim Isaeus more Isocratis[1]), ut concinnitas quaedam membrorum efficeretur, non singulas modo notiones (cf. p. 25), sed tota membra prorsus inania interdum periodo adiecit. Velut XI, 14 *καὶ περὶ μὲν τῶν ὁμολογουμένων εἶναι τοῦ*

---

[1]) Albrechtus in Hermae vol. XVIII p. 365 sq. verba *ἐάν τίς τι ἀτίμητον δῷ* his de causis expungenda esse censet: 1) Was diese Worte besagen sollen, findet man erst, wenn man ein Stück weiter liest; an sich sind sie so undeutlich und allgemein, dass man behaupten darf, Is. hat sie nicht so an die Spitze des Satzes gestellt. 2) Die Worte können nichts enthalten, was nicht viel besser nachher mit *ὃ μὴ — ἔδωκεν* gesagt ist. Welche Weisheit liegt in der Wiederholung: wenn Jemand etwas ungeschätzt giebt, so darf er nicht eintreiben, was er nicht in der Mitgift geschätzt gab. 3) Die Construction des Satzgefüges ist ungemein schwerfällig, mag man jenen Satz dem folgenden über- oder beiordnen. Haec argumenta nihil videntur valere. Primum verba l. non ita obscura sunt; nam de sola dote non aestimata esse sermonem ex verbis et iis, quae antea §§ 28, 29 de dote a Pyrrho neque accepta neque data leguntur, et iis, quae statim sequuntur *ἐὰν ἀπολίπῃ ἡ γυνὴ τὸν ἄνδρα*, satis elucet. Alterum argumentum refutatur exemplis supra allatis. Denique cum structura *ἐὰν — ἐὰν* confero VI, 9 *ἐξεῖναι διαθέσθαι, ἐὰν μὴ παῖδες ὦσι γνήσιοι ἄρρενες, ἐὰν μὴ ἄρα μανεὶς — διαθῆται.*

[1]) Blass eloqu. Att. II p. 151.

παιδὸς χρημάτων μηδ' αἰτιᾶσθαί με |, μηδ' ὥς τι εἴληφα ἔχειν εἰπεῖν, || ἃ δ' ὑμεῖς ἐμὰ εἶναι ἐψηφίσασθε — ἐπὶ τούτοις ἐμοὶ τοιούτους ἀγῶνας παρασκευάζειν | καὶ εἰς τοῦτο ἀναισχυντίας ἥκειν, ubi extrema verba, quae posita sunt, ut priori oppositionis parti bimembri altera ipsa quoque bimembris responderet, satis languent. Similiter comparata sunt X, 22: ἐγὼ δὲ καὶ αὐτός, ὦ ἄνδρες, οἶμαι δεῖν κυρίας εἶναι τὰς διαθήκας, | ἃς ἂν ἕκαστος διαθῆται περὶ τῶν ἑαυτοῦ, || περὶ μέντοι τῶν ἀλλοτρίων οὐ κυρίας εἶναι τὰς διαθήκας, | ὥσπερ ἃς ἂν ἕκαστος περὶ τῶν αὑτοῦ διαθῆται, VIII, 46: μνησθέντες οὖν | καὶ τῶν ὅρκων, | οὓς ὀμόσαντες δικάζετε, || καὶ τῶν λόγων, | οὓς εἰρήκαμεν, || καὶ τῶν νόμων, | ᾗ δίκαιόν ἐστι, || ταύτῃ τὴν ψῆφον τίθεσθε. Neque desunt loci, ubi Isaeus eam magistri consuetudinem imitatus est, qua ille rebus, quas iam exposuit, contrapositi potissimum schemate adhibito iteratis saepissime periodos dilatavit:[1]) I, 29 ᾧ καὶ ἀναγκαῖον εὖ ποιεῖν ἡμᾶς καὶ αἰσχρὸν ἡμῶν ἀμελῆσαι, X, 10 μεμαρτύρηται δὲ Ἀρίσταρχον μὲν πρότερον Δημοχάρους τοῦ υἱέος τελευτῆσαι, ἐκεῖνον δέ ὕστερον τοῦ πατρός, IV, 11 ὑμᾶς χρὴ περὶ αὐτῶν ὡς οἷόν τε ἀκριβέστατα ἐξετάζειν καὶ μηδὲν εἰς ὅσον δύνασθε παραλείπειν. Hi loci, quibus Isaeus numeris magis quam rebus servivit, etsi pro tenui causarum genere, cui soli operam navavit, rariores sunt, tamen docent, magis Isocratis disciplina eum imbutum fuisse, quam ut magistri artificiosiore dicendi genere prorsus se abstinere posset. Denique dictionis brevitas nonnullis non modo notionum aut membrorum, sed totarum sententiarum repetitionibus corrupta est, quae licet prorsus otiosae interdum videantur esse, tamen si quis tamquam glossemata expungere animum inducat, quod qui fecerint non defuerunt,[2]) ipsum oratorem, non librarios emendet.

[1]) cf. Gehlert p. 25 sq. et Blass eloqu. Att. II. p. 151.
[2]) cf. Albrecht l. l. p. 367.

Est enim tenendum, has orationes conscriptas esse non ut legerentur, sed haberentur apud iudices, qui tantum abfuisse, ut omnia, quae proferrentur verba, ad amussim examinarent, ut contra audiendi pertaesi iusto saepius negligentiae indulgerent, ex frequentissimis locis concludi potest, ubi aut iudices, ut attente audiant, ab oratoribus admonentur cf. Is. VIII, 4, aut oratores ipsi promittunt quam brevissime se dicturos esse cf. Is. VII, 4, VI, 9, 19, XI, 32. Quae cum ita se habuerint, cavendum est, ne nimis morosi vitio hanc consuetudinem vertamus Isaeo, qua argumenta gravioris momenti, ut ab auditoribus vel minus attentis animo tenerentur, iterum iterumque repetere non dubitavit; immo — id quod Albrechtus[1]) recte animadvertit — artificium quoddam oratorium in eiusmodi repetitionibus saepius latere agnoscemus. Nam cum paucis tantum locis disertis verbis indicatum sit, iterari quae iam prolata essent argumenta (cf. III, 60, XI, 16, 29), maior argumentorum copia oratori videtur suppeditare, quam re vera est. Jam de diversis iterandi rationibus, quas Isaeus sit secutus, Albrechtus[2]) uberius disputavit; itaque satis habeo luculentis quibusdam exemplis hanc consuetudinem adumbrasse.

III §§ 64, 65 bis continenter nullis interpositis verbis Atheniensium lex ea commemoratur, per quam filias vel ab ipsis patribus collocatas, si fratribus genuinis carebant, epidicasia instituta iis, qui genere erant proximi, in matrimonium sibi petere licuit. I, 29 repetitur sententia antecedente paragrapho iam prolata haec: plane absurdum esse, si Cleonymus actori, quem pro summa, qua cum illo coniunctus esset, familiaritate hereditate excludere turpe esset, nihil reliquisset, ipsi autem adversariorum amici, pietatis vinculo

---

[1]) Albrecht l. l. p. 368, Anm. 2.
[2]) ib. p. 369 sq.

nullo astricti, partem Cleonymi bonorum eum accipere iustum esse censerent. Quibus simillima est ratiocinatio, quae intra parvum duarum paragraphorum spatium I §§ 33, 34 quater legitur: credibile non est, Cleonymum eis, quibus familiarissime sit usus, nihil legasse, quorum autem cum nonnullis discordaverit, eos omnium bonorum heredes instituisse. Luculentissimum eiusmodi repetitionum exemplum invenitur III §§ 45, 46, 48, 49, 51, ubi sexies iisdem paene verbis Isaeus hoc argumentum centra Nicodemum usurpavit: si Nicodemi soror revera legitima fuisset Pyrrhi uxor, illum sororis filiam ut ex meretrice procreatam ab Endio, Pyrrhi filio adoptato, Xenocli collocari passurum non fuisse; quod si impedire non potuisset, dubium non esse, quin in Endium crimen *κακώσεως* ad archontem delaturus fuerit. Cui argumento mira quadam assiduitate repetito apertis verbis § 52 adiectum est, a Nicodemo litem non intentam esse.

Haec de brevitate Isaei dictionis sufficiant, qua quaestione absoluta cum adumbratio primae de tribus elocutionis partibus ad finem perducta sit, nunc ad alterum dissertationis caput transeamus.

Caput II.

De compositione verborum.

Isaei componendi rationem perscrutaturo in animo est duplicem instituere quaestionem; nam cum „nec sententia ulla sit, quae fructum ferat oratori, nisi apte exposita atque absolute, nec verborum lumen appareat nisi diligenter collocatorum“[1]), primum quaeramus, quam rationem in singulis collocandis verbis, deinde quam in periodis struendis noster sit secutus.

Jam Dionysii iudicium Isaei compositionem Lysiana artificiosiorem esse existimantis[2]) utraque, quas statuimus, parte comprobatur.

Nam verbis oratorie collocatis non modo Isocratem, qui simplici in universum verborum ordine sit usus, verum etiam Lysiam a nostro superatum esse Blassio animadvertenti[3]) prorsus assentior. Etenim quamvis non ignorem, ne ab illis quidem verborum traiectiones, quibus aut melius caderet oratio aut singula verba vi quadam efferrentur, spretas esse, tamen apud Isaeum cum omnia sic sint posita,

---

[1]) Cic. or. § 227.

[2]) Dionys. *περὶ Ἰσαίου* c. III *ἡ μὲν (Λυσίου λέξις) σύγκειται φυσικώτερον — ἡ δὲ Ἰσαίου τὴν σύνθεσιν περιεργοτέρα τις κτλ.*, ib. c. XII *ὁ Λυσίας ἁπλουστερός τίς ἐστι καὶ κατὰ τὴν σύνθεσιν καὶ κτλ.*

[3]) Blass eloqu. Att. II, 482.

ut quam plurimum valerent, in ipsa verborum collocatione insolentius interdum comparata studium quoddam argumentandi atque persuadendi deprehenditur. Saepius notiones gravioris momenti in enuntiati aut initio aut fine sunt positae: frg. II, 4 *εἰσφορὰς λογίζῃ πόσας*; V, 34 *ἢ ὑμῖν πῶς καλὸν ἀπογνῶναι Λεωχάρους ἅ γε οὐδ' οἱ προσήκοντες αὐτοῦ ἀπέγνωσαν* pronomen *ὑμῖν* inversa collocatione sequenti *προσήκοντες* gravius oppositum est, X, 9 *γνησίου γὰρ ὄντος αὐτῷ Δημοχάρους υἱέος,* ubi velim animadvertas, vim vocis *γνησίου* eo praeterea esse auctam, quod a substantivo *υἱέος* aliis vocabulis interpositis dirempta est; qua re efficitur, ut audientium animi in hanc vocem, donec vocabulum, quocum coniungenda est, ipsum procedat, intendantur. Exempla similia leguntur haec: VIII, 40 *οὐδεμίαν ἐκείνου περὶ τούτων ποιησαμένου διαθήκην,* ib. 31 *εἰ τοίνυν καὶ ζώσης κύριος αὐτὸς μὴ ἐγένετο τῶν τῆς γυναικός κτλ.*, III, 33 *οὐ γὰρ ἄν ποτε οἱ μὲν εἰς τὴν δεκάτην, ὥς φασι, κληθέντες τῆς τοῦ Πύρρου θυγατρὸς — ἀκριβῶς εἰς τὸ δικαστήριον ἧκον μεμνημένοι ὅτι κτλ.*, I, 25 *διὰ τί οὐκ ἐν ἑτέρῳ γράψας αὐτὰ γραμματείῳ κατέλιπεν κτλ.*, III, 6 *πότερον ἐξ ἐγγυητῆς ἢ ἐξ ἑταίρας ἡ ἀμφισβητοῦσα τοῦ κλήρου τῷ θείῳ γυνεικὸς εἴη,* ubi sane *γυνεικός* vocabulum propter interpositum *ἑταίρας* paulo durius in extremo enuntiato collocatum est. Addo verborum collocationem non minus insolenter comparatam hanc: III, 51 *ὥστε μηδὲ τὸ δέκατον μέρος ἐπιδοὺς ἐκδοῦναι τῇ γνησίᾳ θυγατρὶ τῶν πατρῴων,* ubi duo simul hyperbata inveniuntur; dirempta enim sunt non modo verba *τὸ δέκατον μέρος* a genetivo *τῶν πατρῴων,* sed etiam *ἐπιδούς* a verbis *τῇ γνησίᾳ θυγατρί.*[1]) In extremo enuntiato legitur vox pre-

---

[1]) alia liberioris verborum collocationis exempla congessit Blassius eloqu. Att. II p. 481.

menda locis hisce: XI, 15 *ὅτι οὔτ' ἀδικῶ τὸν παῖδα οὐδὲν οὔτ' ἔνοχός εἰμι ταύταις ταῖς αἰτίαις οὐδὲ κατὰ μικρόν*. ib. § 22 *ἀλλ' ἐγίγνετο εἰς ἐμὲ ἡ κληρονομία κατ' ἀγχιστείαν πάντων*, VII, 5 *τούτοις οὐσίαν ὁ πατὴρ κατέλιπε πολλήν κτλ.*, ib. § 7 *καὶ τὴν οὐσίαν ἐποίησε κομίσασθαι τὴν αὑτοῦ πᾶσαν*, VIII, 16 *καὶ τὰς ἑορτὰς ἤγομεν παρ' ἐκεῖνον πάσας*.

Jam vero periodos, quae singulis verbis coniunctis exoriuntur, quomodo struxit Isaeus? haec enim altera de compositione est quaestio. Cicero [1]) oratorum tenuis dicendi generis duplicem distinxit classem, quorum alios callidos, sed impolitos et consulto rudium similes et imperitorum, alios in eadem ieiunitate concinniores, id est facetos, florentes etiam et leviter ornatos esse dicit, quae quidem verba ad Lysiam atque Isaeum in unguem ita quadrant, ut de ipsis his oratoribus dicta esse videantur. Nam cum orationes Lysiae, quem concinnitatem variasque illas verborum figuras multo magis quam nostrum consectatum esse infra apparebit, suavitatis gratiaeque plenae esse a Dionysio [2]) recte praedicentur, Isaeus haud raro minus elegantem in verbis non solum eligendis (cf. p. 16 sq.), verum etiam componendis sese praebuit.

Primum enim interdum paulo durior exsistit structura subiecto subito mutato, quae tamen exempla omnia sic sunt comparata, ut, quid intelligendum sit subiectum, dubium esse non possit: V, 3 *ὅσα κατέλιπε Δικαιογένης ὁ Μενεξένου ἐν τῷ κλήρῳ καὶ τὰ χρήματα ἃ ἔλαβε* (scil. adversarius *Δικαιογένης ὁ Προξένου*), VI, 37 *παραγενόμενοι δέ τινες ἐξαγγέλλουσι τοῖς οἰκείοις τὴν ἐπιβουλήν, καὶ ἐλθόντες ἐδήλωσαν τὸ πρᾶγμα τοῖς δικασταῖς* scil. *οἱ οἰκεῖοι*, VII, 7 *εἰσέπραξε τὸ ἡμικλήριον ὧν Μνήσων κατέλιπεν ὅσα τε ἐκ*

---

[1]) Cic. or 6, 20.

[2]) Dionys. *περὶ Ἰσαίου* c. III.

τῆς ἐπιτροπῆς ἀπεστέρησε scil. *Εὔπολις ὁ ἐπιτροπεύς* cf. praeterea VIII, 36, VI, 5, IX, 11. Quamquam propter has subiectorum mutationes, quibus non obscuratur oratio, non ita magnopere Isaeus videtur esse castigandus, praesertim cum similia etiam apud alios oratores inveniantur.[1]) Sed accedunt graviora.

Limatius scribendi genus desideratur locis hisce: I, 41 *διαθήκας δ' ἤδη πολλοὶ ψευδεῖς ἀπέφηναν, καὶ οἱ μὲν τὸ παράπαν οὐ γενομένας, ἐνίων δ' οὐκ ὀρθῶς βεβουλευμένων*, ubi concinnitas membrorum omnino neglecta est. Minus eleganter ab eodem substantivo genetivi et obiectivus et subiectivus pendent VIII, 6: *τὰ μὲν πάλαι γεγενημένα λόγων ἀκοῇ καὶ μαρτύρων* (*χρώμενος*). III, 34 *οἱ δ' οἰκειότατοι τῶν ἁπάντων, ὁ πατὴρ καὶ ὁ θεῖος καὶ ἡ μήτηρ οὐκ ἂν ᾔδει τὸ ὄνομα τῆς θυγατρός, ὥς φασι, τῆς αὐτοῦ* pronomen *αὐτοῦ* negligentius non ad matrem, sed ad patrem, remotissimum subiectum, relatum est, cuius mentionem ab hoc loco plane abhorrere recte Schoemannus p. 247 demonstravit[2]). Liberius orator pronominis numerum et genus non ei nomini, ad quod pertinet, accommodavit, sed remotiori, quo antea eandem notionem significaverat X, 16: *εἰ γὰρ ἦν, ὡς οὗτοι λέγουσιν, ὑπέρχρεως οὗτος ὁ κλῆρος, οὔτ' ἂν χρήματα οὗτοι ὑπὲρ αὐτῶν ἐξέτινον — οὐ γὰρ προσῆκον αὐτοῖς, ἀλλ' οἷς ἐγένετο ἡ ἐμὴ μήτηρ ἐπίδικος, τούτοις ἀναγκαῖον ἦν ὑπὲρ αὐτῶν βουλεύσασθαι.* Pluralis *αὐτῶν* bis positus ad verba, quae in antecedente paragrapho leguntur, *ὑπὲρ τούτων τῶν χρημάτων* relatus est. Exemplum similiter comparatum invenitur XI, 26: *ἀπέδοτε δ' ὑμεῖς ἐπιδικάσαντές μοι τοῦτον*

---

[1]) Schoemann p. 294. W. Francke: de Andocidis oratione, quae est de pace p. 11 sq. Diss. Halle 1876.

[2]) In praedicati numero singulari pluribus subiectis praecedentibus non offendendum est cf. X, 5, IV, 24, Lys. XII, 12, Dem. XXIII. 21, 143, Krüger griech. Sprachlehre § 63, 4.

τὸν κλῆρον, οἱ δὲ μήτε ἔλαχον τῶν αὐτῶν κτλ., ubi haud dubie idem substantivum *χρήματα* oratoris menti obversabatur, quamquam in antecedentibus verbis eo non usus erat. Insolentius substantivum feminini generis neutro pluralis pronominis excipitur XI, 9: *ἡμεῖς δ'οὐδεπώποτ' ἠξιώσαμεν ἀμφισβητῆσαι πρὸς τὰς ἐκείνου διαθήκας, ἀλλ' ᾠόμεθα δεῖν περὶ τῶν αὑτοῦ τὴν ἐκείνου γνώμην εἶναι κυρίαν, καὶ τούτοις ἐνεμένομεν*, quacum licentia comparari possunt, quae apud Andocidem I, 10 leguntur: *ὅθεν περ ἡ ἔνδειξις ἐγένετο, διόπερ εἰς τὸν ἀγῶνα τόνδε κατέστην.* Prorsus autem audacter comparata videntur esse V, 7: *ἠμφισβήτει ἡμῖν ἅπαντος τοῦ κλήρου, φάσκων ἐφ' ὅλῃ ποιηθῆναι υἱός κτλ.*, quasi antecederet *οὐσίας*, nisi forte hoc insolens dicendi genus librariorum, non oratoris negligentiae debetur. Mihi quidem Fuhrii[1]) coniectura prorsus arrisit scribentis *ἐφ' ὅλῃ τῇ οὐσίᾳ*, quippe quae verba in argumento ex oratione sumpto legantur.

Porro haud raro orator nimio quodam simplicitatis studio dictione prorsus horrida incultaque est usus, cuius exempla luculentissima in abrupta quarundam narrationum compositione cernuntur. Evolve mecum, quaeso, or. VII, 5, ubi Thrasyllus, Apollodori filius adoptivus, narrationem incipit hisce verbis: *Εὔπολις γάρ, ὦ ἄνδρες, καὶ Θράσυλλος καὶ Μνήσων ἀδελφοὶ ἦσαν ὁμομήτριοι καὶ ὁμοπάτριοι. τούτοις οὐσίαν ὁ πατὴρ κατέλιπε πολλήν, ὥστε καὶ λειτουργεῖν ἕκαστον ἀξιοῦσθαι παρ' ὑμῖν. ταύτην ἐκεῖνοι· τρεῖς ὄντες ἐνείμαντο πρὸς ἀλλήλους. τούτων δύο ἐτελεύτησαν περὶ τὸν αὐτὸν χρόνον κτλ.* Quis est, cuius aures non offendantur continuatis praefractis enuntiatis, quorum tria ab eodem pronomine *οὗτος* incipiunt? Alia eiusmodi exempla leguntur VI, 3, X, 4, IX, 1.[2]) Praeterea more antiquissimorum

---

[1]) Fuhr l. l. p. 59.
[2]) cf. Blass p. 475.

scriptorum, quorum scribendi genus *λέξις εἰρομένη* a grammaticis nuncupatur, singula enuntiata particula *καί* ab Isaeo consociata sunt, quorum alia aliis elegantius subiuncta essent II, 4 *καὶ ἀπ' ἐκείνου τοῦ χρόνου τετάρτῳ ἔτει ἢ πέμπτῳ ὕστερον ἥ τε ἀδελφὴ ἡμῖν ἡ νεωτέρα σχεδὸν ἡλικίαν εἶχεν ἀνδρὶ συνοικεῖν, καὶ τῷ Μενεκλεῖ ἡ γυνὴ τελευτᾷ, ἣν εἶχε πρότερον*, ib. § 9 *κἀκείνη τὸ μὲν πρῶτον οὐδ' ἠνέσχετ' αὐτοῦ λέγοντος, προϊόντος δὲ τοῦ χρόνου μόλις ἐπείσθη· καὶ οὕτως ἐκδίδομεν αὐτὴν Ἠλείῳ Σφηττίῳ, καὶ ὁ Μενεκλῆς τήν τε προῖκα ἀποδίδωσιν αὐτῆς κτλ.*, V, 31 *καὶ ἡμεῖς ὥσπερ μικρὰ ἀδικούμενοι συνεχωρήσαμεν, καὶ ἐπετρέψαμεν διαιτηταῖς τέτταρσιν, ὧν τοὺς μὲν δύο ἡμεῖς ἠγάγομεν, τοὺς δὲ δύο ἐκεῖνοι· καὶ ἐναντίον τούτων ὡμολογήσαμεν ἐμμενεῖν οἷς ἂν οὗτοι γνοῖεν, καὶ ὠμόσαμεν· καὶ οἱ διαιτηταὶ ἔφασαν κτλ.*, VI, 27 *καὶ ὁ μὲν Φανόστρατος ἐκπλεῖν ἔμελλε τριηραρχῶν μετὰ Τιμοθέου, καὶ ἡ ναῦς αὐτῷ ἐξώρμει Μουνιχίασι, καὶ ὁ κηδεστὴς Χαιρέας παρὼν συναπέστελλεν αὐτόν·* cf. VI, 4, 7, II, 5, 18, 30 extr. et 31, V, 11. Particula *τέ* enuntiata conexa sunt locis hisce: VIII, 19 *αἵ τε γυναῖκες αἱ τῶν δημοτῶν μετὰ ταῦτα προύκριναν αὐτὴν μετὰ τῆς Διοκλέους γυναικὸς τοῦ Πιθέως ἄρχειν εἰς τὰ Θεσμοφόρια καὶ ποιεῖν τὰ νομιζόμενα μετ' ἐκείνης·*[1]) *ὅ τε πατὴρ ἡμῶν — εἰς τοὺς φράτερας ἡμᾶς εἰσήγαγεν κτλ.*, cf. ib. § 16, 18 extr. VII, 9, X, 20. Nec minus quam haec adnectendi rationis vestigia *ἐπανάληψις* frequentissime adhibita Herodoti resipit compositionem nondum adultam, qua quidem illum singula periodorum membra comprehendenda anxie curasse satis notum est. Nam haud raro ab Isaeo notio post enuntiatum interpositum pronomine demonstrativo quasi in memoriam revocatur: V, 12 *καὶ Λύκωνα, ὅν περ εἰσήγαγε πρῶτον εἰς τὸ δικα-*

---

[1]) ubi *τέ* particulam non sequenti *καί* respondere, sed huic enuntiato antecedentibus verbis annectendo inservire per se patet.

στήριον, τοῦτον εἷλεν, X, 12 *καὶ μὲν δή, ὦ ἄνδρες, οὐδὲ Ἀριστομένει γε οὐδὲ Ἀπολλοδώρῳ, οἷς προσῆκε τῆς ἐμῆς μητρὸς ἐπιδικάσασθαι, οὐδὲ τούτοις ἐξῆν*, XII, 9 *ἔπειτα, ὦ ἄνδρες δικασταί, ὁ πατὴρ ὁ ἡμέτερος, ὃν εἰκός ἐστι μετὰ τὴν τούτου μητέρα ἄριστα τὸν αὐτοῦ υἱὸν γιγνώσκειν, οὗτος καὶ τότε καὶ νυνὶ βούλεται ὀμόσαι κτλ.*, VIII, 16 *τῷ Διί τε θύων τῷ Κτησίῳ, περὶ ἣν μάλιστ' ἐκεῖνος θυσίαν ἐσπούδαζε καὶ οὔτε δούλους προσῆγεν οὔτε ἐλευθέρους ὀθνείους, ἀλλ' αὐτὸς δι' ἑαυτοῦ πάντα ἐποίει, ταύτης ἡμεῖς ἐκοινωνοῦμεν*, ubi qua de causa puncto pone *ἐποίει* posito apodosin Buermannus a protasi divellerit, equidem perspicere non possum. III, 20 *καὶ ἐπὶ μὲν ταῖς μαρτυρίαις αὐταῖς τοῖς παραγενομένοις αὐτοῖς, ὁποῖοί τινες ἂν ὦσι, τούτοις μάρτυσιν χρῆσθαι ἀναγκαῖόν ἐστιν ἡμῖν.* I. 28 *Κλεώνυμος δ' ὃς ἦν ἡμῖν οἰκειότατος, — οὗτος μόνους ἐβούλετο ἡμᾶς ἀκλήρους εἶναι τῶν αὐτοῦ.* Paulo laxior exsistit structura locis iis, ubi pronomen sive non statim post interpositum enuntiatum sive non initio apodosis collocatum omni caret vi, qua re Buermannus videtur commotus esse, ut secutus Scheibium I, 2 *καὶ οἱ μὲν οἰκεῖοι καὶ οἱ προσήκοντες οἱ τούτων ἀξιοῦσιν ἡμᾶς καὶ τῶν ὁμολογουμένων, ὧν Κλεώνυμος κατέλιπεν, αὐτοῖς τούτων ἰσομοιρῆσαι* pronomen *τούτων* secluderet. Quamquam pronomen ita collocatum ab Isaei dicendi genere non alienum esse elucet ex VIII, 30: *φέρε δή, καὶ ὡς προσήκει ἐμοὶ μᾶλλον ἢ τούτῳ τῶν Κίρωνος χρημάτων, νῦν ἤδη τοῦτο ἐπιδείξω.* cf. ib. § 6, III, 73. Interdum etiam notio continuo, nullo interposito enuntiato, pronomine redintegrata est: III, 77 *τὴν οὕτω κοινὴν τοῖς βουλομένοις γεγενημένην, ταύτην ἐπιχειρήσει τις ὑμᾶς πείθειν ὅτι ἐγγυητὴν γυναῖκα ὁ ἡμέτερος θεῖος ἔσχεν;* Similiter comparata sunt, quae ib. § 18 leguntur: *ὁ μὲν γὰρ ἐγγυᾶν μέλλων εἰς τὸν τριτάλαντον οἶκον, ὥς φησι, τὴν ἀδελφήν, διαπραττόμενος τηλικαῦτα ἕνα μάρτυρα παρεῖναι αὐτῷ Πυρετίδην*

προσεποιήσατο. Saepissime vis aut participii aut totius enuntiati adverbio *οὕτως* iterata est: VII, 43 *βούλομαι διὰ βραχέων ὑμᾶς ὑπομνήσας οὕτω καταβαίνειν*, VIII, 4 *σαφῶς εἰδότες — οὕτως*, ib. § 12 *βασανίζοντες οὕτω*, ib. § 13 *ἀξιώσαντες — οὕτως*, ib. § 44 *παθὼν — οὐδ' ὥς*, XI, 18 *ἐλέγξας — οὕτως*, ib. § 35 *κρατήσας — οὕτω*, VI, 44 *καίτοι οὐδ' εἰ γνήσιοι ἦσαν — οὐδ' οὕτως προσῆκεν κτλ.* Denique particula *τότε* excipitur enuntiatum temporale: VI, 40 *καὶ οὐδ' ἐπειδὴ — ἦλθον αἱ θυγατέρες αὐτοῦ καὶ ἡ γυνή, οὐδὲ τότε εἴων εἰσιέναι* cf. II, 42, VI, 32, IX, 15. Haec omnia stilo minus exercitato videntur deberi, sed videntur tantum, cum Isaeum componendi artis haud imperitum fuisse et ex parvo exemplorum eorum numero, ubi orator a constructione incohata plane descivit, et ex structuris satis aptis atque artificiosis, quarum multae in argumentandi potissimum partibus inveniuntur, discere liceat.

Atque anacolutha leguntur haec: I, 20 *τίς γὰρ ἂν γένοιτο ταύτης μανία μείζων, ἢ τότε μέν, ὅτε Δεινίᾳ διάφορος ὢν ἔτυχεν, ἡμᾶς κακῶς ποιεῖν τε καὶ διατίθεσθαι τοιαύτας διαθήκας, ἐξ ὧν οὐκ ἐκεῖνον ἐτιμωρεῖτο, ἀλλὰ τοὺς οἰκειοτάτους ἠδίκει· νυνὶ δὲ χρώμενος ἡμῖν καὶ περὶ πλείστου ποιούμενος ἁπάντων, μόνους ἐβουλήθη τοὺς ἀδελφιδοῦς, ὡς οὗτοί φασιν, ἀκλήρους ποιῆσαι τῶν ἑαυτοῦ;* II, 14 *διδόντων οὖν τῶν νόμων αὐτῷ ποιεῖσθαι διὰ τὸ εἶναι ἄπαιδα ἐμὲ ποιεῖται, οὐκ ἐν διαθήκαις γράψας — οὐδ' ἀσθενῶν· ἀλλ' ὑγιαίνων, εὖ φρονῶν, εὖ νοῶν ποιησάμενος εἰσάγει* (pro solo participio *εἰσάγων*) *εἰς τοὺς φράτερας·* II, 42 *νυνὶ δὲ δεινὸν τὸ πρᾶγμα καὶ αἰσχρὸν εἶναι τῇδε νομίζω, εἰ ἡνίκα μὲν ὁ Μενεκλῆς εἶχέ τι, τότε μὲν — ἐστράτευμαι ἐν τῇ φυλῇ τῇ ἐκείνου καὶ ἐν τῷ δήμῳ· ἐπειδὴ δὲ ἐκεῖνος ἐτελεύτησεν, εἰ — αὐτοῦ τὸν οἶκον ἀπιὼν οἰχήσομαι, πῶς οὐκ ἂν δεινὸν τὸ πρᾶγμα εἶναι καὶ καταγέλαστον δοκοίη κτλ.*, ubi apodosis repetitae causa in periodi amplitudine

cernitur. Eodem modo apodosis iterata est IX, 15. Insolentius codices XI, 10 *ἡμεῖς δέ, ἐγὼ καὶ Στρατίος καὶ Στρατοκλῆς, ἐπειδὴ τοῖς ἐγγύτατα γένους ἐγεγένητο ἐπίδικος ὁ κλῆρος, παρεσκευάζοντο ἅπαντες λαγχάνειν* praecedente *ἡμεῖς* tertiam verbi personam exhibent, ubi tamen quin Buermannus secutus Reiskium *παρεσκευαζόμεθα* recte restituerit mihi dubium non est. Haec de anacoluthis.

Quod autem Isaei compositionem diversam esse diximus in narrandi et argumentandi partibus, hanc ob causam orator non videtur esse castigandus. Nam cum narranti oratori negligens quoddam struendi genus, quippe quo ad quotidianum sermonem quam maxime accederet oratio, haud ineptum esset, in argumentationibus, quae per se multo minus quam narrationes oblectamenti audientibus praebent, ieiunitas rei verbis artificiose compositis compensanda erat, quo quidem munere Isaeus non invita Minerva functus est. Jam adnectendi ratio in universum etiam in argumentandi partibus longe praevalet atque ita quidem, ut more Isocratis[1]) singula enuntiata saepissime sibi opposita sint, qua re id efficitur, ut audientes, cum prius contrapositi membrum pronuntiatur, animi quadam attentione alterum exspectent, quod illi respondeat[2]). Imprimis iis locis magistri imitatio est conspicua, ubi oppositis sententiis, quae ipsae quoque una vel pluribus oppositionibus sunt dilatatae, verborum comprehensiones amplitudine Isocrateis non impares exsistunt. Quae componendi ratio ut ipsius Isaei verbis illustretur, pauca exempla in membra dispertita proponere liceat.

I, §§ 3, 4 A) *οὗτοι μὲν διαθήκαις ἰσχυριζόμενοι τοιαύταις,*
ἃς ἐκεῖνος
a) *διέθετο μὲν α) οὐχ ὑμῖν ἐγκαλῶν*

---

[1]) Blass eloqu. Att. II, p. 155 sq.
[2]) Moy l. l. p. 105.

β) ἀλλ' ὀργισθεὶς τῶν οἰκείων τινὶ τῶν ἡμετέρων,

b) ἔλυσε δὲ πρὸ τοῦ θανάτου, πέμψας Ποσείδιππον ἐπὶ τὴν ἀρχήν·

B) ἡμεῖς δὲ

a) γένει μὲν ἐγγυτάτω προσήκοντες,

b) χρώμενοι δὲ ἐκείνῳ πάντων οἰκειότατα

c) δεδωκότων δ'ἡμῖν

α) καὶ τῶν νόμων κατὰ τὴν ἀγχιστείαν

β) καὶ αὐτοῦ Κλεωνύμου διὰ τὴν φιλίαν τὴν ὑπάρχουσαν αὐτῷ,

d) ἔτι δὲ Πολυάρχου — προστάξαντος, εἴ τι πάθοι Κλεώνυμος ἄπαις, ἡμῖν δοῦναι τὰ αὑτοῦ.

I, §§ 6, 7 A) ἐγὼ μὲν

a) οὐχ ὅτι ἀδίκως κινδυνεύω, τοῦθ' ἡγοῦμαι μέγιστον εἶναι τῶν παρόντων κακῶν,

b) ἀλλ' ὅτι ἀγωνίζομαι πρὸς οἰκείους, οὓς οὐδ' ἀμύνασθαι καλῶς ἔχει.

B) οὗτοι δ'

a) οὐ τοιαύτην ἔχουσι τὴν γνώμην,

b) ἀλλ' ἥκουσιν ἐφ' ἡμᾶς

α) καὶ τοὺς φίλους παρακαλέσαντες

β) καὶ ῥήτορας παρασκευασάμενοι

γ) καὶ οὐδὲν ἀπολείποντες τῆς αὑτῶν δυνάμεως, ὥςπερ ὦ. ἄ.

1) ἐχθροὺς τιμωρησόμενοι,

2) καὶ οὐκ ἀναγκαίους καὶ συγγενεῖς κακῶς ποιήσοντες.

Exempla similia leguntur I, 47, II, 36 et 37, VIII, 31, VII, 14 etc.

Sed ne sola laxiore componendi ratione, qua particulis *δέ, καί, τέ,* similibus verba verbis applicantur, Isaeus videatur

esse usus, nunc ad artificiosiores structuras enumerandas progrediamur. Inveniuntur enim apud Isaeum quasi incunabula periodorum earum, quarum membra non, ut apud Lysiam atque Isocratem, ad concinnitatem et numerum quendam sunt conformata, sed logices quodam modo trutina pensata artificiosissime sententiae principali, prout magis minusve illustrandae illi inserviunt, aut annexa aut subiuncta sunt, qua quidem re Demosthenicae compositionis splendori viam noster munivit. Exemplum luculentissimum a Dionysio c. VII servatum est: fragm. I, 2

1) *τριηραρχοῦντος γάρ μου ἐπὶ Κηφισοδότου ἄρχοντος,*

2) *καὶ λόγου ἀπαγγελθέντος πρὸς τοὺς οἰκείους ὡς ἄρα τετελευτηκὼς εἴην ἐν τῇ ναυμαχίᾳ,*

α) *οὔσης μοι παρακαταθήκης παρ' Εὐμάθει τουτῳί,*

a) *μεταπεμψάμενος τοὺς οἰκείους τε καὶ φίλους τοὺς ἐμοὺς Εὐμάθης*

A) *ἐνεφάνισε τὰ χρήματα ἃ ἦν μοι παρ' αὐτῷ, καὶ ἀπέδωκε πάντα ὀρθῶς καὶ δικαίως.*

Habes in enuntiato litera *A* insignito duo membra *καί* particula conexa, quippe cum verbum *ἀποδιδόναι* non minus ad Eumathis probitatem illustrandam valeat quam *ἐμφανίζειν.* His subiuncta est actio arcessendorum amicorum ut minus gravis (*a*), huic causa arcessendi (*α*). Accedunt praeterea duo enuntiata temporalia (1 et 2), sententiae principali item subiuncta. Ex orationibus, quae in nostris codicibus leguntur, propono artificiosiores structuras has:

IX, 15 A) *τῷ οὖν ἂν ὑμῶν φανείη πιστόν,*

I) *πρότερον ἄλλας στρατείας τοῦ Ἀστυφίλου στρατευομένου*

II) *καὶ εὖ εἰδότος ὅτι ἐν ἁπάσαις μέλλοι κινδυνεύειν,*

a) *οὕτως ἀκριβῶς τὰ παρὰ τῆς τύχης συμβῆναι,*

α) ὥστε αα) ἐν μὲν τῷ πρόσθεν χρόνῳ
μηδὲν — διαθέσθαι,
αβ) ὅτε δὲ τὸ τελευταῖον ἔμελλε
στρατεύεσθαι,
1) ἐθελοντήν τε ἐκπλέοντα
2) καὶ μάλιστα ἐκ ταύτης τῆς στρατείας ἐλπίζοντα σωθήσεσθαι
τὰς διαθήκας τότε καταλιπεῖν καὶ ἐκπλεύσαντα τελευτῆσαι;

ubi maxime eo oratorem componendi artis peritissimum sese praestitit Isaeus, quod enuntiatum primarium, quae ex illo pendent, non statim sequuntur, sed genetivis absolutis interpositis sententia suspensa est. Eodem modo comparata est constructio haec:

XI, 13 A) οὐκ οὖν δεινόν,
I) ἐμοὶ μὲν διαρρήδην οὕτω τῶν νόμων δεδωκότων τὴν κληρονομίαν,
II) τούτους δ' ἔξω τῆς ἀγχιστείας πεποιηκότων,
a) τολμᾶν τουτονὶ συκοφαντεῖν
b) καὶ διαγωνίσασθαι μὲν — μὴ οἴεσθαι δεῖν, μηδὲ παρακαταβάλλειν, —
c) ἐπὶ δὲ τοῦ παιδὸς ὀνόματι πράγματ' ἐμοὶ παρέχειν καὶ περὶ τῶν μεγίστων εἰς κίνδυνον καθιστάναι;

praeterea cf. III, 35, VII, 19, quae exempla Blassius[1]) attulit. Amplioribus his verborum comprehensionibus haud raro concisa enuntiata intermixta sunt, quibus acrimonia quaedam conciliatur argumentationi. Primum enim Isaeus saepissime praesertim ad adversariorum nequitiam notandam exclamationes illas, quae epiphonemata a grammaticis nuncupantur, usurpavit, quibus res antea narratae vel probatae

---

[1]) Blass eloqu. Att. II p. 477.

paucissimis verbis comprehenduntur. Jam hac in re nostrum a reliquorum oratorum consuetudine paulo recessisse Herforthius[1]) animadvertit. Etenim cum hi, ubi adversariorum castigant impudentiam, enuntiato consecutivo, quod pendet ex locutione *εἰς τοῦτο ἀναιδείας ἦλθεν* vel simili, uti soleant, apud Isaeum post commemoratas res improbe gestas plerumque sequitur locutio laudata, ita ut, si Quintiliani[2]) verbis uti licet, quasi extrema fiat insultatio; quam dicendi consuetudinem, cum illa multo efficacior sit, Demosthenes in orationibus certe contra tutores conscriptis semper secutus est. Pondus autem exclamationum illarum eo quam maxime est auctum, quod *ἀσυνδέτως* semper verbis, quae praecedunt, adiunctae sunt. Exempla in promptu sunt haec: VII, 21 *εἰς τοῦτο ἀναιδείας ἐληλύθασι,* V, 11 *εἰς τοῦτο ὕβρεως καὶ μιαρίας ἀφίκετο,* XI, 6 *οὕτω σχέτλιος καὶ ἀναιδὴς ἄνθρωπός ἐστιν,* cf. V, 10, VII, 23, 9, 28, II, 20, 37. Jam vero non singula modo concisa enuntiata apud Isaeum leguntur, sed etiam plura continuata, quibus ubi usus est orator, tanta acerbitate horret argumentatio, ut adversarius quidquam contra dicere videatur neque ausus esse neque potuisse. Quantopere rigent exempli gratia verba haec: XI, 33 *εἰ μὲν κατ' ἀγχιστείαν τῶν Ἁγνίου μετεῖναί φησι τῷ παιδὶ τοῦ ἡμικληρίου, λαχέτω πρὸς τὸν ἄρχοντα, κἂν ὑμεῖς ψηφίσησθε, λαβέτω· ταῦτα γὰρ οἱ νόμοι κελεύουσιν.* Porro II, 22 extr., postquam demonstratum est, neminem artiore propinquitate quam causae actorem eiusque fratrem cum Menecle coniunctum fuisse, quem ille adoptare posset, tria enuntiata brevissima addita sunt haec: *δειξάτω γὰρ οὗτος ὑμῖν. ἀλλ' οὐκ ἂν ποτε δύναιτο· ἦν γὰρ οὐδεὶς ἄλλος συγγενὴς αὐτῷ πλὴν τούτων.* VI, 62, ubi orator argumenta ab adversariis

---

1) Herforth in libro p. 3, annot. 4 laudato p. 6.
2) Quint. instit. orat. VIII, 3, 11.

allata paucis verbis sic repetit, ut singulis sua ipsius argumenta opponat, his verbis utitur: *γέγραπται ὡς οὐκ ἔδωκεν οὐδὲ διέθετο Φιλοκτήμων· τοῦτο ἐπιδέδεικται ψεῦδος ὄν· καὶ γὰρ ὁ δοὺς καὶ ὁ διαθέμενος, καὶ μαρτυροῦσιν οἱ παραγενόμενοι. τί ἔτι; τελευτῆσαι ἄπαιδα Φιλοκτήμονα. πῶς οὖν ἄπαις ἦν ὅς τις κτλ.* VIII, 32 ex lege de mala parentum tractatione demonstratur, potius esse ius actoris, Cironis nepotis, quam adversarii, qui filium illius fratris sese esse simulet, quippe cum, si viveret avus idque inopia rerum ad vitam necessariarum oppressus, nepoti alendi officium imponeretur. Quod ut appareat, orator legem illam interpretatur verbis hisce: *κελεύει γὰρ τρέφειν τοὺς γονέας· γονεῖς δ' εἰσὶ μήτηρ καὶ πατὴρ, καὶ πάππος καὶ τήθη καὶ τούτων μήτηρ καὶ πατήρ, ἐὰν ἔτι ζῶσιν· ἐκείνη γὰρ ἀρχὴ τοῦ γένους ἐστί, καὶ τὰ ἐκείνων παραδίδοται τοῖς ἐγγόνοις· διόπερ ἀνάγκη τρέφειν αὐτούς ἐστι, κἂν μηδὲν καταλίπωσι.*

Longe autem artificiosissime comparati sunt loci ii, ubi membratim et incisim oratio tractata est, quam componendi rationem plurimum in argumentationibus valere Cicero [1]) rectissime iudicavit. Quod enim est dicendi genus aut ad refellendum aut ad persuadendum accommodatius, quam quo Isaeus est usus locis hisce: VIII, 28 *πόθεν χρὴ πιστεύεσθαι τὰ εἰρημένα; οὐκ ἐκ τῶν μαρτυριῶν; οἶμαί γε. πόθεν δὲ τοὺς μάρτυρας; οὐκ ἐκ τῶν βασάνων; εἰκός γε. πόθεν δ' ἀπιστεῖν τοῖς τούτων λόγοις; οὐκ ἐκ τοῦ φεύγειν τοὺς ἐλέγχους; ἀνάγκη μεγάλη.* Haec omnia fortiter sunt dicta; quibuscum accuratissime congruunt, quae fragm. II, 3 leguntur. Exemplum similiter comparatum exstat VIII, 14: *Τίνας εἰκὸς εἰδέναι τὰ παλαιά; δῆλον ὅτι τοὺς χρωμένους τῷ πάππῳ. μεμαρτυρήκασι τοίνυν ἀκοὴν οὗτοι. τίνας δ' εἰδέναι τὰ περὶ τὴν ἔκδοσιν τῆς μητρὸς ἀνάγκη; τοὺς ἐγγυησαμένους*

---

[1]) Cic. or. 67, 225.

καὶ τοὺς ἐκείνοις παρόντας, ὅτε ἠγγυῶντο. μεμαρτυρήκασι τοίνυν οἵ τε Ναυσιμένους προσήκοντες καὶ οἱ τοῦ ἐμοῦ πατρός. τίνες δὲ οἱ τρεφομένην ἔνδον καὶ θυγατέρα οὖσαν εἰδότες γνησίαν Κίρωνος; οἱ νῦν ἀμφισβητοῦντες ἔργῳ φανερῶς μαρτυροῦσιν ὅτι ταῦτ' ἐστὶν ἀληθῆ, φεύγοντες τὴν βάσανον, ubi velim animadvertas, membrorum concinnitatem quasi ipsis sententiis oblatam ab oratore plane neglectam esse. Primum enim in tertio enuntiato interrogativo structura infinitivi sine causa cum oratione, quam rectam dicunt, commutata est, deinde quod sequitur enuntiatum antecedentibus verbis facillime potuit assimilari hoc modo: *οἱ νῦν ἀμφισβητοῦντες. μεμαρτυρήκασι τοίνυν ἔργῳ φανερῶς ὅτι κτλ.* Liceat aliud eiusdem orationis exemplum hoc loco addere, quod quamvis structura ab iis, quae modo attulimus, longe distet, tamen Isaeum membrorum concinnitatis non ita studiosum fuisse docet: § 20 *καίτοι μὴ οἴεσθ' ἄν, εἰ τοιαύτη τις ἦν ἡ μήτηρ ἡμῶν οἵαν οὗτοί φασι, μ ή τ' ἂν τὸν πατέρα ἡμῶν γάμους ἑστιᾶν κ α ὶ γαμηλίαν εἰσενεγκεῖν, ἀλλὰ ἀποκρύψασθαι ταῦτα πάντα, μ ή τ ε τὰς τῶν ἄλλων δημοτῶν γυναῖκας αἱρεῖσθαι ἂν αὐτὴν συνιεροποιεῖν τῇ Διοκλέους γυναικὶ κ α ὶ κυρίαν ποιεῖν ἱερῶν, ἀ λ λ' ἑτέρᾳ ἄν τινι περὶ τούτων ἐπιτρέπειν, μ ή τ ε τοὺς φράτερας εἰσδέχεσθαι ἡμᾶς, ἀ λ λ ὰ κατηγορεῖν κ α ὶ ἐξελέγχειν κ. τ. λ.* Duabus enim oppositionibus ita comparatis, ut prior pars binis, altera singulis constet membris, addita est tertia oppositio, cuius ratio contraria est.

Haec de compositione disseruisse satis habeo. Priusquam autem ad tertiam, quam proposuimus, elocutionis partem transgrediamur, in qua maxima Isaei et Isocratis differentia cernitur, operae pretium videtur esse, eas Isaei in eloquendo consuetudines uno in conspectu ponere, quas magistri imitationi deberi nos demonstrasse confidimus. Utriusque oratoris propria sunt haec:

1) studium quoddam simplicis verbi notionis circumscribendae. cf. p. 21.

2) schema κατ' ἄρσιν καὶ θέσιν, quod vocant, frequentissime usurpatum, quo quidem notio eo effertur, ut contraria negatione exornata apposita sit. cf. p. 22 sq.

3) brevitas sermonis eo interdum corrupta, quod
   a) concinnitatis causa membra plane inania periodis sunt addita, cf. p. 27 sq.
   b) eaedem sententiae bis et positive et negative pronuntiatae sunt. cf. p. 28.

4) periodorum quaedam amplitudo, quae rebus sub 2 et 3 b allatis quam maxime adiuvatur. cf. 39 sq.

Caput III.

De figurarum usu.

De vi verbi figurae, cum iam inter veteres grammaticos non mediocrem fuisse dissensionem Quintilianus[1]) testis sit, mirum non est, recentiores quoque in diversas discessisse partes, ita ut alii inter figuras referant, quibus alii hoc nomen denegant. Hoc autem omnes consentiunt, duplex esse distinguendum figurarum genus, alterum verborum, alterum sententiarum, quorum discrimen in eo esse positum Cicero[2]) dicit, ut figurae verborum verbis mutatis non maneant manente sententia, sententiarum autem permaneant, etiamsi verba mutaveris. Cum igitur bipartita sit haec quaestio, primum videamus

---

[1]) Quint. inst. orat. IX, 1, 10.
[2]) Cic. or. 24, 81.

A) de figuris verborum,

quae a grammaticis distribui solent in grammaticas et rhetoricas. Cum autem figurarum grammaticarum exempla praeter temporum permutationes, quas supra (p. 20 sq.) commemoravimus, apud Isaeum non inveniantur, illis tractandis hoc loco supersedemus. Jam praemonendum est, Isaeum multo parcius quam Lysiam et Isocratem verborum figuris esse usum, sive quod vis atque gravitas verborum potius quam splendor fucatus ei curae fuerunt, sive quod novatae suae aetatis rationi sese accommodavit, qua maxime Gorgianae illae figurae antea iusto crebrius a multis scriptoribus usurpatae magis magisque ineptae atque pueriles haberi coeptae sunt.[1])

Jam in enumerandis figuris ab Isaeo usurpatis Volkmanni rationem sequar, qui in libro „die Rhetorik der Griechen und Roemer“ inscripto p. 397 ab iis proficiscitur, quae adiectis vocabulis exsistunt.

Epanaphora vel anaphora, quae efficitur, „cum continenter ab uno eodemque verbo in rebus similibus et diversis principia sumuntur“ (Cornif. IV, 13, 19), legitur locis hisce: V, 9 *ἀφείλετο — ἀφείλετο*, ib. § 20 *ἐναντίον — ἐναντίον*, ib. § 44 *ἀλλ' οὐδ' — ἀλλ' — οὐδέ*, II, 3 *δύο — δύο*, VIII, 29 *δίς — δίς*, XI, 9 *τελευτᾷ — τελευτᾷ* cf. § 10, ib. § 35 *ταῦτα — ταῦτα*, VIII, 24 *σύ — σοί*, VI, 43 *τοσαῦτα — τοσαύτης*. Accedunt praeter frequentissimas formulas *ἅμα μὲν — ἅμα δὲ*, *τότε μὲν — τότε δὲ*, *τοῦτο μὲν — τοῦτο*

---

[1]) Isocr. XII, 3 *ἡγοῦμαι γὰρ οὐχ ἁρμόττειν οὔτε τοῖς ἔτεσι τοῖς ἐνενήκοντα καὶ τέτταρσιν, ἁγὼ τυγχάνω γεγονώς, οὐϑ' ὅλως τοῖς ἤδη πολιὰς ἔχουσιν ἐκεῖνον τὸν τρόπον ἔτι λέγειν* (scil. *γέμοντας ἀντιϑέσεων καὶ παρισώσεων καὶ τῶν ἄλλων ἰδεῶν κτλ* cf. § 2.) cf. Dionys. Hal. de Lys. 14, de Isocr. 15, Cornif. rhet. ad C. Herennium IV, 23: si crebro his generibus utemur (agitur de Gorgianis figuris), puerili videbimur elocutione delectari.

δὲ etc. multa enuntiata interrogativa continenter ab eodem pronomine incipientia, de quibus tamen cum infra uberius disputandum sit, duo tantum exempla hoc loco attulisse sufficiat, in quibus una cum pronomine alia vocula repetita est: VI, 25 *τί γὰρ — τίς γάρ*, ib. *ἢ διὰ τί — ἢ διὰ τί.*

Epanastrophen vel anastrophen figuram, quae eo exsistit, ut ab extremo enuntiati verbo initium sequentis sumatur, haud scio an recte agnoscam in verbis his: VIII, 17 *καὶ ταῦθ' ὅτι ἀληθῆ πάντ' ἐστίν, ἀκριβέστατα μὲν οἱ τοῦ πάππου θεράποντες ἴσασιν, οὓς οὗτος παραδοῦναι εἰς βάσανον οὐκ ἠθέλησεν, ἴσασι δὲ τὰ περιφανέστατα καὶ τῶν ἐκείνῳ χρωμένων τινές,* ubi interposito enuntiato relativo vis verbi *ἴσασι* initio sequentis enuntiati repetiti non corrupta est.

Conceptio vel zeugma detractione quadam verborum sic oritur, ut plures sententiae ad unum verbum non omnibus prorsus aptum referantur. Exemplum accipe hoc: V, 39 *τὴν δὲ μητέρα αὐτοῦ καθημένην ἐν τῷ τῆς Εἰλειθυίας ἱερῷ πάντες ἑώρων, καὶ τούτῳ ἐγκαλοῦσαν ἃ ἐγὼ αἰσχύνομαι λέγειν.* Apparet ad alterum participium, quod ex verbo *ἑώρων* pendeat, notionem audiendi potius quam cernendi subaudiendam esse.

Tertia figurarum classis artificiosae cuidam verborum collocationi debetur, sive verba similiter sonantia sive paria sive contraria componuntur. Ac primum huc spectat

annominatio vel paronomasia, qua verbum aut forma aut vi leviter mutata iteratur. Exempla leguntur apud Isaeum haec: aut post verbum simplex introducitur compositum, velut: II, 8 *ἐδεῖτο οὖν ἡμῶν δοῦναι χάριν ταύτην αὐτῷ, ἐκδοῦναι ἄλλῳ αὐτὴν μετὰ τῆς γνώμης τῆς ἑαυτοῦ,* similiter ib. § 23 *ὄντων γὰρ αὐτῷ παίδων ἐκείνῳ ὄντι ἄπαιδι — φαίνεται ἐπιτιμῶν,* aut post verbum compositum aliud eiusdem simplicis compositum: V, 34 *οὐκ οὖν δεινὸν εἰ δεήσεται ὑμῶν, ὦ ἄνδρες, Λεωχάρης ἀποψηφίσασθαι ἃ*

Διοπείθης κηδεστὴς ὢν αὐτοῦ κατεψηφίσατο; VII, 1 *εἴ τις τελευτήσειν μέλλων διέθετο, εἴ τι πάθοι, τὴν οὐσίαν ἑτέρῳ, καὶ ταῦτ' ἐν γράμμασι κατέθετο,* VI, 43 *Τοσαῦτα μὲν τοίνυν χρήματα ἐκ τῆς οἰκίας ἐκφορήσαντες, — ἔτι δὲ τὰς προσόδους τὰς ἐν ἐκείνῳ τῷ χρόνῳ γενομένας διαφορήσαντες,* VIII, 8 *πάλιν ἐκδίδωσι τῷ ἐμῷ πατρὶ καὶ χιλίας δραχμὰς προῖκ' ἐπιδίδωσι* cf. I, 39, III, 8, 49, 51, X, 25; XI. 38 *εἰ Στρατοκλέους ἄπορα τὰ πράγματα καταλιπόντος αὐτὸς εὔπορος ὢν κτλ.* Venustates autem immutatione litterarum quaesitas, quas non modo Isocrates, verum etiam Lysias [1]) consectatus est, Isaeus, ne de verbis magis quam de re laborare videretur, prorsus vitavit. Annominationi confinis est figura, quae allitteratio vocatur, qua verba similiter sonantia coniunguntur, velut II, 18 *χρῆναι γῆμαι,* ib. § 21 *οὕτως οὗτος,* § 27 *ἐγὼ ἔχω,* VI, 56 *πότερον δικαιότερον,* VIII, 34 *τῶν πατρῴων, τῶν παππῴων,* III, 31 *ἔτη ἤδη,* quae tamen exempla casui potius quam consilio deberi elucet ex VI, 1: *καὶ συνεξέπλευσα καὶ συνεδυστύχησα καὶ ἑάλωμεν,* ubi ut similitudo verborum soni, praepositione *σύν* effecta, deleretur, singularis subito cum plurali commutatus est. Nec magis videntur verba similiter cadentia, quibus

homoioptoton figura efficitur, consulto ab oratore esse coniuncta. Exempla afferam haec: III, 4 *μαρτυρῆσαι ἐγγυῆσαι,* VIII, 26 *ὠθεῖν καὶ ἐκβάλλειν καὶ κωλύειν συνθάπτειν,* ib. § 40 *ἀδελφῶν τριῶν ὁμομητρίων ἐπικλήρων καταλειφθεισῶν,* XI, 20 *πονηρίαν οὐδεμίαν ζημίαν,* VI, 57 *αὐτοὶ οἱ ἐπίτροποι διαπεπραγμένοι εἰσίν κτλ.* Sed transeamus ad figuras eas, quae maxime Gorgiae dicendi generis sunt propria.

[1]) cf. Lys. XXXI, 26 *οὐ περὶ τοῦ βουλεύειν ἀλλὰ περὶ τοῦ δουλεύειν,* ib. § 32 *οὐ περὶ βουλεύειν — βουλεύεσθαι,* XXX, 21 *εὐσέβειαν ἀλλ' οὐκ εὐτέλειαν,* XXIV, 7 *ἀδικῆσαι — ἀθυμῆσαι.*

Homoioteleuton legitur hisce locis: XI, 33 *φάσκοντος ἐμοῦ τούτων εἶναι μηδὲν δικασάσθω, κἂν ἐξελέγξῃ με ὡς ὡμολόγησα, τότ' ἤδη πραξάσθω*, cf. ib. § 24 *πεποίηκεν — εἴρηκεν*, IV, 21 *ἐξαπατῆσαι — ἀποστερῆσαι*, II, 28 *πραθῆναι — ἀποστῆναι*, I, 23 *ὀργισθῆναι — δεηθῆναι*, VIII, 1 *τολμῶσι — ἐλπίζωσι*, X, 8 *ἀναισχυντοῦσιν — ἀξιοῦσι*. Sed quam ne hanc quidem figuram noster appetiverit, ex aliis locis discere licet, ubi collocatione verborum similis in extremis membris sonitus corruptus est: II, 28 *καὶ οὗτος καιροῦ λαβόμενος καὶ βουλόμενος αὐτῷ ἐπηρεάζειν*, I, 34 *οὔτ' ὀρθῶς ἐχούσας οὔτ' ἀρεσκούσας τῷ διαθεμένῳ*, cf. ib. 33, XI, 13, 33, X, 22, VI, 23.

Isocolon vel parison: IV, 12 *τῶν δὲ συγγενῶν μηδὲν τῶν πεπραγμένων εἰδότων, | τοῦ δὲ ἐλέγχου μηδαμῶς ἀκριβοῦς γιγνομένου*, VIII, 1 *οὗτοι — λαγχάνουσιν ὡς — ὄντες, | ἡμᾶς τε ὑβρίζουσιν ὡς — ὄντας*. Arcessita videtur concinnitas membrorum: VII, 44 *οὔτ' ἐκείνῳ παῖδα εἰσπεποιηκὼς | ἀλλὰ τὸν οἶκον ἐξηρημωκώς, || οὔτε τούτῳ ἂν εἰσποιήσας | ἀλλ' ὁμοίως ἂν καὶ τοῦτον ἐξερημώσας*. Similia exempla iam supra p. 28 allata sunt. Multo saepius haec figura cum aliis coniuncta legitur. Paria membra, quae similiter cadunt, habes haec: IV, 10 *τοῦτο δ' ἦν αὐτῷ . . . | ὡς ἢ τῶν χρημάτων κληρονομήσοντι | ἢ τὸ παιδίον ἀστὸν ποιήσοντι*, XI, 36 *ὅτι μὲν οὖν | οὔτε περὶ τούτων οὐδὲν δίκαιον πεποίηκεν | οὔτε περὶ τῶν ἄλλων ἀληθὲς οὐδὲν εἴρηκεν*, VII, 28 *καὶ ἐξ ὧν ἤκουσαν | καὶ ἐξ ὧν ᾔδεσαν*, X, 1 *οἱ μὲν γὰρ | καὶ λέγειν δεινοὶ καὶ παρασκευάσασθαι ἱκανοί*, IX, 32 *ἔπειτα νῦν ἀξιώσουσι κληρονομεῖν τῶν Ἀστυφίλου | οὐ μόνον τὰς διαθήκας λέγοντες, | ἀλλὰ καὶ τὸ γένος παρατιθέντες*. Praeterea compar interdum cum contraposito coniunctum legitur, cuius rei exempla infra afferemus.

Antitheton vel contrapositum duplici efficitur modo; aut enim verba tantum sibi opposita sunt, aut et verba et

sententiae. Atque prioris generis exempla leguntur haec: III, 45 *ἐπέτρεψας, — τὴν ἐκ τῆς ἐγγυητῆς τῷ Πύρρῳ γεγενημένην | ὡς ἐξ ἑταίρας ἐκείνᾳ οὖσαν ἐγγυᾶσθαι·* II, 23 *ὄντων γὰρ παίδων | ἐκείνῳ ὄντι ἄπαιδι — φαίνεται ἐπιτιμῶν*, I, 11 *πῶς — κακῶς ποιεῖν ἐβουλήθη | τοὺς μηδὲν αὐτὸν ἠδικηκότας;* Multo autem apertius est artificium oratoris locis iis, ubi non verba solum, verum etiam sententiae inter se opponuntur hoc modo: VII, 23 *ὁ μὲν ἀνὴρ ὢν οὐδὲ τοῦ μέρους εἴληχεν, | οἱ δ' ὑπὲρ ταύτης τῆς γυναικὸς ἁπάντων.* VIII, 44 *καὶ ζῶντος μὲν τοῦ πάππου καὶ τοῦ πατρὸς οὐδεμίαν αἰτίαν εἴχομεν, | — ἐπειδὴ δὲ ἐκεῖνοι τετελευτήκασι — ὄνειδος ἕξομεν*, I, 23 *τοὺς μὲν τηλικαῦτα μέλλοντας ἐκ τοῦ πράγματος κερδαίνειν, | ὥσπερ ζημιωθεσομένους φυλάξασθαι τὴν διακονίαν, || Κλεώνυμον δ' ὑπὲρ τῆς τούτων ὠφελείας τοσαύτην ποιήσασθαι σπουδὴν ὥστε κτλ.*, ib. § 43 *αὐτὰς (διαθήκας) ἔλυσε μὲν Κλεώνυμος εὖ φρονῶν, | διέθετο δὲ ὀργισθεὶς καὶ οὐκ ὀρθῶς βουλευόμενος*, cf. praeterea I, 33, 34, 35, IX, 19, 10. Antitheta, quorum membra sunt paria, inveni haec: V, 21 *τί ἡμεῖς ὠφελούμεθα νικήσαντες, | ἢ τί οὗτος ἐζημιώθη ἡττηθείς;* X, 16 *μέλλοντες ὠφεληθήσεσθαι μὲν μηδέν, | ζημιωθήσεσθαι δὲ μεγάλα*, VII, 29 *μήτε ἔχθρα πρὸς τούτους | μήτε φιλία πρὸς ἡμᾶς.* Paulo ante legitur antitheton, cuius membra similiter cadunt: *ἔχθρας μὲν παλαιᾶς αὐτῷ πρὸς τούτους οὔσης, φιλίας δὲ πρὸς ἡμᾶς καὶ συγγενείας οὐ μικρᾶς ὑπαρχούσης.* Denique coniunctae leguntur tres figurae Gorgianae: I, 15 *οὐχ ἡμῖν ἐγκαλῶν | ἀλλὰ Δεινίᾳ πολεμῶν*, II, 25 *ὅς τις αὐτὸν ἔμελλε | ζῶντα θεραπεύσειν | καὶ τελευτήσαντα θάψειν*, V, 44 *καὶ αὐτὸς μὲν ἠξίους κεκτῆσθαι | ἅ σοι οὐδὲν προσῆκε χρήματα, || τοῖς δὲ θεοῖς οὐκ ἀπέδωκας | ἃ ἐκείνων ἐγίγνετο ἀγάλματα* cf. IV, 11. Asyndeton, quod aptum esse Quintilianus [1]) censet, cum

[1]) Quint. inst. or. IX, 3, 50.

quid instantius dicatur, eis concitatioris sermonis medicamentis adnumerandum est, quibus si non inventis at certe frequentius adhibitis Isaeus Demosthenis acrimoniae fons est factus. Nam cum apud Lysiam[1]) et Isocratem[2]), qui aequabilitati atque facilitati orationis indulserunt, haec figura perrara sit, Isaeus et verba et enuntiata saepius omissis coniunctionibus conexuit. Atque verba dissolute coacervata leguntur: XI, 43 *χωρὶς δὲ τούτων ἔπιπλα, πρόβατα, κριθάς, οἶνον, ὀπώρας*, frag. II, 5 *ταῦτα μαρτυρόμενον ἐχρῆν αὐτὸν σκέψασθαι τὰ ψηφίσματα, τὸ πλῆθος τῶν εἰσφορῶν, τὰ εἰσενηνεγμένα, τοὺς λαβόντας*, VIII, 34 *πάντες γὰρ ὑμεῖς τῶν πατρῴων, τῶν παππῴων, τῶν ἔτι περαιτέρω κληρονομεῖτε ἐκ γένους*, ib. § 45 *ἔχετε δὲ πίστεις ἱκανὰς ἐκ μαρτυριῶν, ἐκ βασανῶν, ἐξ αὐτῶν τῶν νόμων*, II, 14 *ὑγιαίνων, εὖ φρονῶν, εὖ νοῶν ποιησάμενος*. Enuntiata sine coniunctionibus conexa habes haec: VIII, 29 *οἳ συνῄδεσαν παρ' ἐκείνῳ τρεφομένην, θυγατέρα νομιζομένην, δὶς ἐκδοθεῖσαν, δὶς ἐγγυηθεῖσαν*. XI, 6 *νῦν δ' ἐφ' οἷς ἀπόκρισιν οὐ δέδωκεν, οὐ μάρτυρας παρέσχετο, οὐχ ὅρκον ὤμοσεν, οὐ νόμον ἀνέγνωκεν, οἴεται κτλ.* VII, 41 *ἐστράτευμαι τὰς στρατείας τῇ πόλει, τὰ προσταττόμενα ποιῶ*. Similiter participia, inter se non coniuncta, efferuntur VIII, 7: *ἐκείνη μὲν οὖν συνοικήσασα οὐ πολὺν χρόνον, τεκοῦσα αὐτῷ τὴν ἐμὴν μητέρα, μετὰ ἐνιαυτοὺς τέτταρας τὸν βίον ἐτελεύτησε*, cf. V, 35, VII, 16. Denique commemoremus nonnulla exempla, ubi copulationis particula vi primae enuntiati vocis absorpta est: X, 21 *ταῦτα γάρ ἐστι περὶ ὧν ὑμᾶς δεῖ τὴν ψῆφον ἐνεγκεῖν, οὐκ εἰ χρόνῳ τι ὕστερον ἡμεῖς*

---

[1]) In Lysiae orationibus a Rauchensteinio editis, quae fere totidem continent paragraphos, quam undecim Isaei orationes — sunt enim illis §§ 522, his §§ 525 — unum tantum inveni exemplnm dissolutionis, quod cum Isaei possit comparari: XII, 100.

[2]) cf. Gehlert p. 38.

τῶν ἡμετέρων εἰσπραττόμεθα, ib. § 24 *καίτοι δίκαιον — τούτους καθ' ἕν τι τούτων ἀποφήναντας αὐτῶν ἀξιοῦν ἐπιδικάζεσθαι, μὴ πρὸ δίκης τὴν Ἀριστάρχου θυγατέρα — ἐκβάλλειν.* Restat ut exempla figurae eius afferamus, quae dissolutioni est contraria.

Polysyndeton adhibitum est ab Isaeo hisce locis: VII, 35 *βουλησόμενον καὶ τριηραρχεῖν καὶ πολεμεῖν καὶ χορηγεῖν καὶ πάνθ' ὑμῖν τὰ προσταττόμενα ποιεῖν*, ib. § 36 *καίτοι εἰ καὶ συγγενὴς καὶ φίλος καὶ εὐεργέτης καὶ φιλότιμος καὶ δεδοκιμασμένος ὑπῆρχον τοιοῦτος εἶναι*, V, 35 *ἅμα δὲ καὶ πλούσιον καὶ πονηρότατον αὐτὸν ὄντα ἀνθρώπων ἐπιδείξω καὶ εἰς τὴν πόλιν καὶ εἰς τοὺς προσήκοντας καὶ εἰς τοὺς φίλους* cf. I, 39, II, 36, III, 51, V, 10, IV, 27, VI, 1, VIII, 46, XI, 7, 36, XII, 8.

B) De figuris sententiarum.

Cum verborum figuras Isaeum multo minus quam Isocratem atque Lysiam consectatum esse viderimus, in sententiarum ornamentis, quibus orationi non dulcedo quaedam, verum vigor acrimoniaque conciliantur, utroque multo frequentior est. Qua re perspecta Dionysius Isaei orationes cum Lysianis comparatas variis schematibus distinctas esse rectissime dixit [1]), quin etiam Pseudo-Plutarchus inventae orationis figuratae laudem nostro tribuere non dubitavit.

Jam *σχήματα διανοίας* perlustraturi ab interrogationibus, quas rhetoricas vocant, proficiscamur, quibus multifariam nec non artificiose usurpatis Isaeus oratores, qui ante eum floruerunt, longe superavit. Nam varia illa interrogationis genera, quibus Demosthenem egregiam orationibus alacritatem conciliasse satis notum est, modo rem, quam probare studeat, audientium animis interrogando quasi inculcantem, modo explanationem alicuius rei petentem sive a iudicibus,

---

1) Dionys. de Isaeo c. III.

sive ab adversario, sive a se ipso, haec omnia etiam apud nostrum reperiuntur. Sed videamus exempla. VII, 40 officia laute ac liberaliter ab Apollodoro rei publicae praestita interrogationibus hisce illustrantur: qua liturgia non perfunctus est? aut quod tributum non inter principes pensitavit? aut quod officium neglexit? IV, 7 artificia nonnullorum Nicostrati peregre defuncti bonis inhiantium lepidissime describuntur hoc modo: quis enim fuit, quin, cum duo illa talenta Athenas relata essent, capillum tonderet? quis, quin vestem mutaret, arbitrans luctu manifestato hereditatem se accepturum esse? aut quot cognati et filii testamenta allegantes Nicostrati bona sibi vindicaverunt? Saepius orator interrogationibus cumulatis adversarium impugnat, in quo dicendi genere, quo quasi pluribus telis ille percuti videtur, nervorum est plurimum. Duabus interrogationibus urgetur adversarius III, 41; ib §§ 45, 46; ib §§ 48, 49; quattuor VI, 25. Notabilis est locus a Dionysio servatus (frg. II, 4), ubi orator quattuor fudit interrogationes, quibus adversarius, si iustam ageret causam, actorem urgere deberet: *εἰσφορὰς λογίζῃ πόσας; τόσας. κατὰ πόσον ἀργύριον εἰσενηνεγμένας; κατὰ τόσον καὶ τόσον. κατὰ ποῖα ψηφίσματα; ταυτί. ταύτας εἰλήφασι τίνες; οἵδε.* Quae verba quamvis non ad interrogationes rhetoricas, sed ad *ἐρώτησιν* spectent, tamen hoc loco affere non dubitavi, quippe quae vividam Isaei argumentandi rationem optime illustrent. Nam a Lysiae tenui dicendi genere exempla fictae adversarii ratiocinationis aliena esse Blassius[1]) rectissime animadvertit. Similia *ἠθοποιίας* exempla leguntur VIII, 24, VI, 53. Magna quadam vi interrogationes locis iis adhibitae sunt, ubi ex contrario aliquid concluditur, quod conclusionis genus *ἐνθύμημα* appellari solet: VI, 63 *πῶς οὖν ἄπαις ἦν ὅς τις τὸν*

---

[1]) Blass II, 483.

ἑαυτοῦ ἀδελφιδοῦν υἱὸν ποιησάμενος κατέλιπεν —; VIII, 32 πῶς οὖν δίκαιόν ἐστιν, ἐὰν μὲν μηδὲν καταλίπωσιν, ἡμᾶς ὑποδίκους εἶναι τῆς κακώσεως, ἣν μὴ τρέφομεν, εἰ δέ τι καταλελοίπασι, τόνδ' εἶναι κληρονόμον ἀλλὰ μὴ ἡμᾶς; cf. I, 23, 33, V, 34, 38, X, 13, XI, 12, VIII, §§ 12, 13. Quod interrogationis genus Isaeus interdum acerba quadam sive ironia sive indignatione aspersit: X, 17 ἢ ἕτεροι μέν, ὅταν περὶ χρήματα δυστυχῶσι, τοὺς σφετέρους αὐτῶν παῖδας εἰς ἑτέρους οἴκους εἰσποιοῦσιν, ἵνα μὴ μετάσχωσι τῆς τοῦ πατρὸς ἀτιμίας· οὗτοι δὲ ἄρα εἰς ὑπέρχρεων οὐσίαν καὶ οἴκοθεν εἰσεποίουν σφᾶς αὐτούς, ἵνα καὶ τὰ ὑπάρχοντα προσαπολέσειαν; IV, 24 ἔπειτα τῷ μὲν κατὰ τὴν δόσιν τοῦ κλήρου λαχόντι μαρτυροῦσιν, αὐτοὶ δὲ κατὰ τὸ γένος οὐκ ἀμφισβητήσουσιν; cf. III, 65, XII, 8.

Vim autem eiusmodi interrogationum haud raro mirum quantum eo auxit Isaeus, ut brevia responsa sive affirmantia sive negantia adderet hoc modo: ναὶ μὰ Δία, ὥς ἔγωγ' οἶμαι III, 39, 49, 25, οὐκ ἔστι ταῦτα X, 17, ἀλλὰ ταῦτα μέν, ὦ ἄνδρες, πολλὴν ἀπιστίαν ἔχει I, 29, οὐδὲν δήπου II, 39, οὐδαμῶς δήπουθεν VIII, 32, οὐκ ἐνῆν ἐλπίσαι δήπουθεν VII, 32, ἐγὼ μὲν γὰρ οὐ νομίζω III, 37, 51, ἐγὼ μὲν οἶμαι οὐδέν VIII, 11, XI, 26, IX, 31, μὴ νομίσητε ὑμεῖς, ὦ ἄνδρες, III, 65, ἀλλ' ὑμεῖς, ὥς ἔγωγ' οἶμαι, οὐ πιστεύσετε III, 77, καὶ τίς ὑμῶν ταῦτα πεισθήσεται; XI, 13. Hoc dicendi genus, quod antea oratoribus non ita usitatum erat[1]), apud Demosthenem latissime patet, ita ut dubitari nequeat, quin ex Isaei eloquentia ab illo sit sumptum.

Sed non solum brevia illa responsa, verum etiam accuratiora apud Isaeum deprehenduntur, quibus usurpatis

---

[1]) cf. Herforth p. 7, qui tres tantum similes locos investigavit: Andoc. I. §§ 22, 89, 102.

figura, quae *διαλεκτικόν* nuncupatur, exsistit. Est autem hoc ornamentum ad iudicialem sermonem quam maxime accommodatum; nam cum appareat, interrogationibus, ex quibus, quae subsit responsio, non statim eluceat, ad ea, quae responsurus sit orator, iudicum animos attendi, satietati atque fastidio audiendi optime occurritur. Exempla accipe haec: VII, 40 *καίτοι τί χρὴ τὸν μέτριον πολίτην; οὐχ οὗ μὲν ἕτεροι τὰ μὴ προσήκοντ' ἐβιάζοντο λαμβάνειν, τούτων μηδὲν ποιεῖν, τὰ δ' ἑαυτοῦ πειρᾶσθαι σῴζειν; οὗ δ' ἡ πόλις δεῖται χρημάτων, ἐν πρώτοις εἰσφέρειν καὶ μηδὲν ἀποκρύπτεσθαι τῶν ὄντων;* VIII, 33 *Κίρωνος πότερον θυγάτηρ ἢ ἀδελφὸς ἐγγυτέρω τοῦ γένους ἐστί; δῆλον γὰρ ὅτι θυγάτηρ· ἡ μὲν γὰρ ἐξ ἐκείνου γέγονεν, ὁ δὲ μετ' ἐκείνου. θυγατρὸς δὲ παῖδες ἢ ἀδελφός; παῖδες δήπουθεν· γένος γὰρ ἀλλ' οὐχὶ συγγένεια ταῦτ' ἔστιν* cf. ib. § 14, 28, frg. II, 3. Quibus confines sunt loci ii, ubi non uno enuntiato, sed uberius respondetur: VIII, 9 *ταυτὶ δὴ πάντα πρὸς τὰς αἰτίας, ἃς νῦν οὗτοι λέγουσι, πῶς ἄν τις δείξειε γεγενημένα φανερῶς;* XI, 33 *τί οὖν ἐστι ταῦτα, καὶ τί διορίζομαι;* ib. § 11 *τῷ δὲ γνώσεσθε τοῦθ', ὅτι ἐμοὶ μὲν ἀγχιστεύειν, τοῖς δ' ἐξ ἐκείνων γεγονόσιν οὐκ ἦν, ἐν οἷς οὗτος ὁ παῖς ἦν;* VII, 43 *Προνάπης δὲ τί ὑπὲρ τῆς ἀμφισβητούσης (ἀξιοῖ);* XI, 44 *ἡ δ' ἐμὴ (οὐσία) πόση τις;* VI, 36 *καὶ τί ποιοῦσιν;* Saepius brevissimis interrogationum formulis orationi insertis iudicum animi excitantur hoc modo: *τί ἔτι;* VI, 62. *καὶ πῶς;* III, 24. *τίνος ἕνεκα;* ib § 32. *πῶς γάρ;* VIII, 30. Summa autem oratoris ars cernitur locis iis, ubi tenor orationis in extremo enuntiato interrogatione subito atque ex inopinato posita interrumpitur, velut V, 13: *πείθει Μενέξενον τὸν ὑπὲρ ἡμῶν τε καὶ ὑπὲρ αὑτοῦ πράττοντα, ἃ ἐγὼ αἰσχυνόμενος ἀναγκάζομαι διὰ τὴν ἐκείνου πονηρίαν λέγειν — τί ποιῆσαι;* ib. § 43 *τοῦτον μέντοι τὸν οἶκον σύ, ὦ Δικαιόγενες, παραλαβὼν κακῶς καὶ αἰσχρῶς διολώλεκας, καὶ*

ἐξαργυρισάμενος πενίαν ὀδύρῃ, ποῖ ἀναλώσας; Cui simillimum exemplum legitur VII, 31: *ἐκείνῳ δὲ πρόδηλον ἦν ὅτι εἰ καταλείψει τὸν κλῆρον ἐπὶ τούτοις, ἔρημον ποιήσει τὸν οἶκον, τί προορῶντι;*[1]) Sed haec satis sunto; hoc unum addere liceat, Lysiam simplicis atque sedatae dictionis studiosiorem fuisse, quam ut hoc interrogationum genus, in quo responsum requiritur, frequentaret. Duo tantum exempla inveni haec: XIII, 20, 64.

Hypophora vel subiectio, a Thucydide exculta[2]), a Lysia magna quadam vi adhibita, ne ab Isaei quidem orationibus aliena est: II, 21 *τίνα ποιήσασθαι ἐχρῆν τῶν συγγενῶν; πότερα τὸν υἱὸν τὸν τούτου; ἀλλ' οὐκ ἂν αὐτῷ ἔδωκεν, ἄπαιδα αὐτὸν καθιστάς· οὐχ οὕτως οὗτός ἐστι φιλοχρήματος. ἀλλὰ τὸν τῆς ἀδελφῆς ἢ τὸν τῆς ἀνεψιᾶς ἢ τὸν τοῦ ἀνεψιοῦ; ἀλλὰ τὴν ἀρχὴν οὐκ ἐγένετο αὐτῷ οὐδεὶς τούτων τῶν συγγενῶν.* cf. V, 45 sq., XI, 25, IV, 20, III, 72, VII, 33. Subiectioni finituma est

prolepsis vel anteoccupatio, qua adversario omnia, quae aut pro se aut contra oratorem allaturus est, argumenta praeripiuntur, velut V, 3: *ἴσως δὲ ἐπ' ἐκεῖνον τρέψεται τὸν λόγον, ὡς Δικαιογένης τε ἃ ἡμῖν ὡμολόγησεν ἅπαντα πεποίηκε, καὶ αὐτὸς τὴν ἐγγύην ὅτι ἀπέδωκεν*, ib. § 28: *περὶ δὲ ἐπισκευῆς τοῦ βαλανείου καὶ οἰκοδομίας καὶ πρότερον εἴρηκε Δικαιογένης καὶ νῦν ἴσως ἐρεῖ, ὡς κτλ.*, ib. § 46: *ἀλλ' ἴσως διὰ τοὺς προγόνους ἀξιώσεις μου πλέον ἔχειν, ὅτι τὸν τύραννον ἀπέκτειναν.* cf. III, 45, X, 18. Minaciter haec sunt dicta: XI, 5 *καὶ ὅπως μὴ ἐκεῖνο ἐρεῖς, ὅτι ἐμὸς ἀδελφιδοῦς.*

Diorthosis vel praemunitio usurpatur, ne odiosa exsistat

---

[1]) sic enim videtur esse interpungendum. Buermannus pone substantivum *οἶκον* punctum posuit.

[2]) Blass I, 515, coll p. 133.

oratio. Exemplum legitur V, 8, ubi orator, postquam narravit, iniuste quondam ab actorum matribus Dicaeogenis hereditatis partes, quas per duodecim annos possedissent, esse abiudicatas, veritus, ne quid offensionis iudicibus praeberent verba prolata, addidit, non iudicibus id crimini esse vertendum, sed Melani aliisque, quibus instigantibus Dicaeogenes minor falsum testamentum attulisset: *εἰς δὲ τὸ δικαστήριον εἰσελθόντες καὶ πολλῷ πλείω καὶ δεκαιότερα λέγοντες ἠδικήθημεν, οὐχ ὑπὸ τῶν δικαστῶν ἀλλ' ὑπὸ Μέλανος τοῦ Αἰγυπτίου καὶ τῶν ἐκείνου φίλων κτλ.* Fragm. I orator, priusquam ad ipsam Eumathis libertatem defendendam accingatur, ne petulanter per *ἀφαίρεσιν* Eumathem videatur liberasse (*ἵνα μηδεὶς ὑπολάβῃ ὑμῶν ὡς ἐγὼ προπετείᾳ ἢ ἄλλῃ ἀδικίᾳ πρὸς τὰ Εὐμάθους πράγματα προσῆλθον*), verba de familiaritate, qua cum illo sit coniunctus, praemittit. VIII, 34 leguntur haec: *δέδοικα δὲ μὴ λίαν ὁμολογούμενα λέγων ἐνοχλεῖν ὑμῖν δόξω*, quibus verbis adhortatio implicata est, ne iudices oratorem docentem, quae nota atque trita sint, animo minus benevolo audiant. Praeterea huc pertinent loci ii, ubi orator, ne defetiscantur iudices, affirmat, paucissimis verbis se rem esse absoluturum. cf. p. 29.

Communicationis figurae, per quam quasi cum ipsis iudicibus orator deliberat, unum exstat exemplum III, 11: *περὶ ὧν εἰ δεήσειε καθ' ἕκαστον διελθεῖν, οὐκ ἂν πάνυ μικρὸν ἔργον γένοιτο. ἐὰν μὲν οὖν ὑμεῖς κελεύητε, περὶ ἐνίων μνησθείην ἂν αὐτῶν· εἰ δέ τισιν ὑμῶν ἀηδὲς ἀκούειν ἐστίν, ὥσπερ ἐμοὶ λέγειν τι περὶ τούτων, αὐτὰς τὰς μαρτυρίας ὑμῖν παρέξομαι κτλ.*

Paraleipsis vel occultatio, aptissima ad rem, quae omitti dicitur, amplificandam, legitur V, 17: *ἐπειδὴ δὲ τοῦτο φανερὸν ἐγένετο ἐξαιρεθεισῶν τῶν ψήφων, ἃ μὲν τῶν δικαστῶν*

καὶ ἡμῶν ἐδεήθη Λεωχάρης ἢ ὅσα ἡμῖν ἐξεγένετο διαπράξασθαι τότε, οὐκ οἶδ' ὅ τι δεῖ λέγειν κτλ.[1])

Apostrophe vel aversus a iudice sermo invenitur locis hisce: alloquitur orator Nicodemum III, 40, 45, Dicaeogenem V, 43, 45, 46, Androclem VI, 25, 53, Hieroclem IX, 23.

Ekphonesis vel exclamatio, perrara illa apud Lysiam,[2]) ab Isaeo saepissime adhibita est: VIII, 29 *μὰ τοὺς θεοὺς τοὺς Ὀλυμπίους*, XI, 36 *μὰ τοὺς θεούς*, VI, 58 *πρὸς θεῶν Ὀλυμπίων* cf. frg. II, 3; VI, 61 *νὴ τὸν Δία καὶ τὸν Ἀπόλλω*, XI, 35 *οὐ μὰ Δία* cf. III, 25, 39, 48, 49, 73, IV, 20, 24, VII, 33, frg. II, 4.

Ironiae exempla inveni haec: III, 32 postquam expositum est, Pyrrhi avunculos mulierem, quae legitimam Pyrrhi filiam se esse contenderet, ab aviae nomine Clitaretam appellatam esse dixisse, Xenoclem autem in libello petitorio uxorem Philam nominasse, acerba orator interrogat ironia: *τίνος ἕνεκα; ἢ ἵνα καὶ τοῦ τῆς τήθης ὀνόματος τοῦ ὑπὸ τοῦ πατρὸς τεθέντος ἄκληρον ὁ ἀνὴρ καταστήσειεν εἶναι τὴν αὑτοῦ γυναῖκα;* ib. § 24 *ἴσως γὰρ ἦν νὴ Δία πάρεργον καὶ φαῦλον, περὶ οὗ τὴν ἐκμαρτυρίαν παρὰ τοῦ Πυρετίδου φασὶ ποιήσασθαι οὗτοι κτλ.*, II, 20 *ὥστε οὐ παραφρονῶν φαίνεται οὐδὲ τῇ γυναικὶ πεισθείς, εἰ μὴ ἄρα τὴν ἐρημίαν αὑτοῦ καὶ τὴν ἀπαιδίαν οὗτος βούλεται τὸ ὄνομα τοῦτο προσαγορεύειν*, ib. § 21 *ἡδέως δ' ἂν μοι δοκῶ τούτου πυθέσθαι τοῦ φάσκοντος εὖ φρονεῖν, τίνα κτλ.* Ironice etiam § 35 dicta sunt *ὁ θεῖος τοίνυν οὑτοσί*, cum patruus cum fratris filio adoptivo, cui potius patrocinari debebat, de hereditate Meneclis contenderet. XII, 7 *ὥστε*

---

[1]) Etiam Lysias hac figura usus est cf. XXXI, 20, 34, XXX, 2, XXXII, 11, XIII, 65.

[2]) inveniuntur enim tria tantum exempla XIII, 95, XIX, 34, 54.

ἡδέως κἂν τῶν ἀντιδικούντων ἡμῖν τοῦ σεμνοτάτου πυθοίμην[1]) *κτλ.* Denique afferendus est locus, ubi recentiores editores ironia non perspecta veram lectionem a Schoemanno rectissime defensam respuerunt: VII, 33 *ἢ νὴ Δία παιδίον ἐποιήσατο λαβὼν παρὰ τούτων φίλων ὄντων, καὶ τούτῳ τὴν οὐσίαν ἔδωκεν;* Scheibius et Buermannus secuti Reiskium scripserunt *παρά του τῶν φίλων ὄντων*, quod mihi non probatur. Primum enim Schoemannus suo iure in addito participio *ὄντων* offendit; deinde pronomen indefinitum propterea ab hoc loco videtur alienum esse, quod orator non nisi de parvulo puero adoptando loquitur, qui utrum aliquando probus futurus sit necne ipsis parentibus incertum fuisse. Cum autem Apollodorus senectute iam affectus esset (cf. § 14), haud dubie etiam inter eius amicos erant viri aetate provecti, quorum filios adultos atque probatos ille potuit adoptare. Quae cum ita sint, sequentia verba *ἀλλὰ καὶ τοῦτ' ἦν ἄδηλον καὶ τοῖς γεννήσασιν, εἴτε σπουδαῖον εἴτε μηδενὸς ἄξιον ἔμελλεν ἔσεσθαι, διὰ τὴν ἡλικίαν* non de universis Apollodori amicis dicta esse apparet, sed de certis quibusdam parentibus, quorum puerulus minor fuit, quam ut eius mores atque ingenium perspici possent. Intelligendi autem sunt, opinor, non alii parentes quam adversarii, scilicet Pronapis eiusque uxor, quae sententia quam maxime particula *καί*, quae post *ἀλλὰ* legitur, fulcitur, quam Buermannus praeeunte Dobraeo sine causa delevit. Nam orator interrogationi: an puerulum istorum, qui videlicet eius amici erant, adoptare heredemque bonorum suorum facere debuit?, quam adspersa ironia iam refutavit, alterum apponit argumentum hoc: sed (praeterquam quod illi Apollodori erant inimicissimi) etiam hoc ipsis parentibus erat incertum, qualis

---

[1]) Similiter Lys. XVI, 15, Dem. XVIII, 258.

aliquando puer futurus esset. Quae cum ita sint, et τούτων scribendum et καί particulam retinendam esse censeo.

Haec habui, quae de figuris sententiarum dicerem, qua quidem quaestione absoluta tota dissertatio ad finem perducta est.

Vidimus igitur, ut iudicium nostrum de Isaei elocutione paucissimis verbis repetamus, Isaeum, qui primus acrimoniam, perfectam illam a Demosthene, ad eloquentiam attulerit, non imum inter oratores Atticos obtinere locum. Genere dicendi usus est eo, quod tenue vocatur, in quo quanto elegantia venustateque Lysia inferior est, modo iisdem semper vocabulis iteratis (cf. p. 16 sq.) negligentis scriptoris speciem prae se ferens, modo etiam inertis, sive annectendorum enuntiatorum ratione parum eleganter adhibita (cf. p. 36) sive simplicitate quadam affectata dictione prorsus hirsuta usurpata (cf. p. 35), tanto gravitate Lysiam superavit. Neque enim uno, ut aiunt, tenore Isaeus fluit, sed artificiosae compositionis peritissimus et concisis enuntiatis amplioribus periodis intermixtis et variis figuris imprimis interrogatione rhetorica asyndetoque excultis miram quandam alacritatem orationibus conciliavit.

VITA.

Natus sum Ernestus Martinus Lincke Dippoldiswaldae pridie Idus Octobres anni h. s. LIX patre Gustavo Ludovico, matre Rosalia e gente Schenkiana, quos morte mihi ereptos esse, patrem anno h. s. LXX, matrem decennio post doleo collacrimoque. Fidei addictus sum evangelicae. Primis litterarum rudimentis in ludo publico, linguae autem Latinae elementis a viro humanissimo Paulo Gersdorfo, qui diaconi munere Dippoldiswaldae tum fungebatur, institutus anno aetatis tertio decimo a matre dilectissima gymnasio Dresdensi ad aedem Sanctae Crucis traditus sum, cuius egregia disciplina per octo annos sum usus. Maturitatis testimonio instructus vernali tempore anni h. s. LXXX Lipsiam me contuli, ut philologiae operam navarem, scholasque frequentavi Biedermanni, Brandesii, Curtii, Drobischii, Ecksteinii, Heinzii, Hirzelii, Langii, Lipsii, Masii, Ribeckii, Struempellii, Voigtii, Wenckii, Zarnckii.

Proseminarii regii philologici per tria semestria sodalis, per unum senior, seminarii regii philologici per duo semestria sodalis ordinarius fui, exercitationibus autem societatis antiquariae Graecae Lipsii et seminarii paedagogici Ecksteinii etiam nunc intersum.

Praeceptoribus meis illustrissimis, imprimis Curtio Langio Lipsio Ribbeckio, qui summa liberalitate studia mea adiuverunt, gratias habeo semperque habebo quam maximas.